



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Pars I. docet perfectionem consistere in charitate Dei, & proximi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)



PARS PRIMA

Huius libri, quod perfectio consistat in charitate Dei & Proximi.

SI statuamus aliquid esse in rerum natura, & doceamus, quid non sit, trita satis aperitur via ad ostendendum quid sit. Reiectis enim omnibus, quae in eius substantiam non quadrant, facile erit vnum attingere, quod essentiam, ac naturam rei inquisita contineat, quo cognito res illa non ignoretur, sed clarè (prout fieri potest) dilucidèque cognoscitur. Hanc inuestigandi viam non solum Philosophia sequuta est, sed eam (quod est amplius) Spiritus ipse sanctus aperuit. Nam in Ecclesiastico, cum omnem rem creatam à cognitione perfectæ diuinæ sapientiae reiecisset, eandem cognitionem, quae comprehensua est, creatori omnium attribuit. Arenam maris, inquit, & pluuia guttas, & dies saeculi quis dinumerauit? Altitudinem cali, & latitudinem terra, & profundum abyssi, qui dimensus est? Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis inuestigauit? ac si diceret, nullus istam, sicut nec omnia illa perfectè cognouit. Ex quo facile est subinferre, Deus creauit eam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & dimensus est. Hanc viam nos in perfectionis inuestigatione seruamus, vt exclusis multis, quae oculis ignorantium perfectionem ac sanctitatem continere videntur, tandem aliquid, & illud non admodum difficile, nec ultra nos positum, sed facile & intra nos constitutum esse confirmemus. Ab ipso verò perfectionis nomine incipiendum est, quod latissimè patet, vt quisque, in qua significatione hic vsurpetur, agnoscat.

De perfectionis nomine, & notione.

CAPVT I.

PERFECTIO magna res est, quam vniuersi suspiciunt, cuius possessionem omnia, tam caelestia quam terrestria diligunt, cuius titulis, tum boni tum mali nobilitari appetunt. Quis enim est, qui perfectionem non veneretur, in qua, & sui, & aliorum summam dignitatem perspicit & facietatem quorumlibet desideriorum sitam esse cognoscit? Quae res, siue suprema, siue infima perfectionis non teneatur amore? cuius absentia, cuiusque naturam inquietam reddit, & figere pedem cupiditatis non sinit, cuius praesentia, omnia pacat, & vniuersa rerum desideria tranquillat? Quis, aut bonus, aut malus, aut iustus, aut iniquus, aliquam veræ aut falsæ perfectionis vmbra non querat? Cum bonos videamus summæ ac perfectæ bonitatis nomine delectari, & malos ad procacem audaciam, & inuercundiam prouectos, summæ malitiæ, & iniquitatis opinione gaudere? Qui lætatur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis? Equidè ita video, omnes quamcumque artem profiteantur, quamcumque occupationem amplectantur, quodcumque officium, aut munus sectentur, nisi excordes sint, ad eius artis, aut muneris perfectionem anhelare, & cupere verticem inter alios eiusdem artis, aut officij tenere: Iusti & spirituales viri si cupiditatem naturæ, & non gratiæ ductum sequerentur, maioris iustitiæ, & sublimioris virtutis nomen sibi præ aliis acciperent. Nobiles, & literati & diuites eximia læticia afficiuntur, si nobilissimi, si sapientissimi, si pecuniosissimi existimetur. Iudices, & gubernatores reipublicæ ad incredibilis prudentiæ, & æquitatis opinionem aspirant. Artifices, etiã illiberales, supremos se esse, & quasi singulares inter peritos eiusdem artis affectant. Quid omnes enumerem? Impij nonnunquam in tantam impietatis immoderantiam procedunt, vt cupiant nomini iniqui-

Prout. 24.

tatis palmam relinquere, sed omnes alios audacia peccandi, & delinquendi impudentia superare. Tam ardens est, aut veræ, aut simulatæ perfectionis amor, vt vniuersos impugnet, & ferè omnes expugnet, & huius (quod maximum bonum putatur) desiderio subiciat. Quanta autem sit perfectionis dignitas, ex omnium hominum cõsensione perspicue cognoscitur, qui eos admirantur, & non vulgaribus honoribus dignos existimant, quos putant in aliqua disciplina, aut arte perfectos. Hac enim de causa Demosthenem, & Tullium oratoris fontes: Apellem, & Zeuxim, picturæ principes: Scipionem, & Cæsarem bellicæ disciplinæ duces: Catonem, & Appium Claudium prudentiæ, ac rerum optimè gerendarum lumina, Milonem, & Hercule corporei roboris antesignanos, honorauit antiquitas, quia videlicet in illis quædam supra alios homines imaginem excellentiæ animaduertit, quamdam inesse perfectionis vmbra cogitauit. Quid ergo significat hoc nomē perfectio, cuius appellationem omnes amant, omnes exoptant, & velis, ac remis (vt aiunt) atque omni conatu persequuntur?

Huius nominis vim, atque naturam, ex nomine perfecti, quod nobis apertius est & notius venandū est. Perfectum autem sic maximus Philosophus Aristoteles definiuit. Perfectum est, cui nihil deest. Cuius sententiæ Clemens Alexandrinus, Ambrosius, & Thomas eiusdè verbis subscripserunt. Tribus verò modis potest contingere, vt alicui nihil desit, aut quia omnino nihil esse, aut excogitari potest, quod in illo non sit (quid enim deerit illi, qui omnia habet, & nullo caret?) aut quia in aliqua disciplina, aut virtute nihil ei deficit eorum, quæ ad eam optimè præstandam possent desiderari: aut denique, quia secundum naturam, qua pollet, & omnia ad eam in meliori statu constituedam necessaria, nullo indiget, quod non sibi præsto sit. Ex quibus manifestū est triplex esse perfectū; alterum, cui nihil omnino desit, alterum, cui nihil in aliqua arte, aut virtute desit: tertium, cui secundum naturam, aut statum, quem habet, nihil omnino defi-

Arist. Clem. 1. pedagogi c. 6.

Amb. 1. 6. c. 2. de Ia. cob. & vi. in beatis c. 5.

Eccles. 3. D. Thom. 1. p. 94. ar. 1.

ciat

ciat. Primum illud perfectum, vnum tantum est, scilicet, Deus noster, cui soli cōpetit, quod omnia bona habeat, & vniuersas perfectiones, aut secundum naturā, aut secundum virtutē contineat. Quare seipsum promisit Moysi sub hac verborum serie. Ego ostēdam tibi omne bonum. Ad cuius non æqualitatem, sed similitudinē aspirare debemus, dicēte filio eius: Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.] De quo solum perfectio locutus est Lactātius, dicēs: Id solidū existimandū est, cui nihil decedere, id perfectum, cui nihil possit accedere. Nullus autem erit adeo rudior ingenij, vt putet aliquid Deo posse superuenire, eo quod corpus non habeat, vt homo: aut crines, vt equus: aut pēnas, vt auicula: & alia similia, quæ in rebus creatis decori sunt, & secundum necessitatem naturæ conceduntur. Nam hæc naturaliter inesse Deo, impossibile est, quia creata sūt, & imperfectionem ac limitationem continēt, & purissimo actui repugnāt, at meliori modo, optimæque ratione sunt in Deo, nimirum tamquam in generali omnium rerum idea, ex qua tantillū perfectionis ista participat, & tamquam in causa dante perfectionē, quā optimo modo habet, a qua tamquā effectus, & artificia procedunt. Quod insinuauit Iohannes (secundum lectionem Augustini, & Ambrosij, Origenis, & Tertulliani) cum in principio euangelij, ait, Quod factū est in ipso, vita erat. Nam, quæ ante generalē mundi creationem, nec esse, nec vitam habebant, & post mundi ortum, aut esse, aut etiam vitam finitam, & imperfectam, in ipso tāquam in generali principio, & tamquam in totius pulchritudinis perfectionisque prototypo, vitam habuerunt increatam, atque diuinam. Si enim domus materialis, ex lapidibus lignisque compacta, in mēte artificis immaterialis est, atque adeo sine vlla comparatione sublimior, atque præstantior; quidni imperfectæ atque finitæ rerum creaturarum perfectiones in Deo totius perfectionis archetypo, multo melius, præstantiusque subsistāt? Sicut ergo (vt similibus Dionysij vtar) omnis numerus in monade est, qui vnitatis complicatione cōfiscitur, & omnes lineæ circuli in centro, ita & omnes rerū perfectiones in Deo, tamquā in generali principio, atque in fonte omnis bonitatis præxiterūt.] Et sicut rex, qui profectus non est præfecti officialis, nec prætor, nec præfectus, nec senator, nec senatorū præses, nō ob id, aliqua iurisdictionis perfectione caret, quia in regia potestate vniuersas suorum subditorum facultates obtinet, per quā potest, & malefactorum in carcerē trudere, & lites dirimere, & ciuitates regere, & omnia regna sibi subiecta moderari, ita vt vniuersa, tum magna, tum parua, si ipse voluerit suo gubernentur imperio: ita Deus, qui neque homo est, neque cælum, neque Angelus, neque aliqua creata perfectio, nulla sanē perfectione caret, quippe qui in sua Deitate, quæ est ipsum esse, siue omne esse, omnem creatam, & finitā perfectionē, increato modo, & infinita quadam ratione cōplectitur. Ipse ergo solus est ita perfectus, vt omnem profectus perfectionē habeat, & neque modicū quid perfectionis illi deficiat. Quamobrem sapiēter dixit Areopagita Dionysius: De auctore omnium Scriptura diuina, & omnia, & simul omnia prædicat, & vt perfectū ipsum, & vnum celebrat. Perfectus quidem est, nō solum, vt in seipso, & per se perfectum, & seorsum vniiformiter per seipsum separatam, totūque per totum perfectissimum, verū & vt perfectionem superās, ex eo quod supereminet omnibus, omnemque terminat infirmitatem, & supra omnem expāditur finē, atque à nullo capitur, seu comprehenditur, sed pertingit ad omnia simul, & super omnia indeficientibus

Exod. 33.
Matth. 5.
Lactant. diuinar. inst. c. 3.
Ioh. 1.
Dionys. c. 5. de diuinis nominibus.
Dionys. li. de diuinis nominibus. c. 13.

A largitionibus, & numquā desinentibus operationibus. Perfectum item dicitur, & vt incrementa non capies, semperque perfectū, & vt imminui nescium, quippe vt in seipso omnia antea excellentes habēs, & cætera.] His magnus Theologus docet solum Deum esse primo ac principali modo perfectum.
Alterum autem perfectum, non est tantum vnum, imò multa sunt in rebus creatis, quæ secundum aliquam disciplinam, aut virtutem, aut proprietatem, possunt optimo iure vocari perfecta; quibus nimirum, vel in pulchritudine, vel in fortitudine, vel in eloquentia, aut in aliis similibus nihil eorum desit, quia cōgrua sunt capacitati creatæ naturæ. Et in his quidem rebus, licet multa desiderentur, ex quorum defectu reputantur mutila, atque imperfecta; tamē in illa signata qualitate, qua alias res similes superāt, & cuius munus absolutissimè præstāt, communi sapientium consensu, perfecta iudicantur. Quis enim dubitet solē splendore (quicquid sit de aliis proprietatibus) signem calore, niuem candore, argētum pulchritudine, aurum puritate, æs robore esse perfecta? Quod in ipsis iustis, & sanctis viris inuenimus; nam (suppressa nunc absoluta sanctitate, qua possent in aliquo speciali dono, aut particulari virtute eminerent, cuius perfectionem adepti sunt. Prophetæ quidem (vt Clemens Alexandrinus ait) perfecti sunt in prophetia; iusti autem in iustitia, & martyres in confessione. Alij autem in prædicatione, non expertes quidem virtutum communium, sed recte se gerētes in iis, in quibus sunt ordinati. Quis enim sanæ mētis dixerit prophetam non esse iustum? Quid enim non iusti quoque sicut Abraham prophetarunt? Imò in eadem virtute secundum diuersos gradus eius potest quis perfectus esse, & imperfectus ita videlicet, vt primi gradus perfectionem acquiserit, ad secundū verò minimè perfectionem deuenit. Vnde præclare Augustinus: Potest fieri, vt iam sit aliquis sapientiæ perfectus auditor, cuius non sit perfectus & doctor; potest perfectus esse iustitiæ cognitor, nondum perfectus effector, potest perfectus esse, vt diligat inimicos, qui nondum est perfectus vt iusserat. Et qui perfectus est in eo, quod omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionem peruenit, queritur, vtrum iam sit in ipsa quoque dilectione perfectus, id est, vtrum quos diligit, tantum diligat, quantum illa incommutabilis regula veritatis diligendos esse præscribit.] Sunt ergo plurima, quæ secundum aliquam spiritualem proprietatem, aut virtutem, aut gradum eius, perfecta existūt, quæ non absolute perfecta, sed perfecta secundum aliquid à sapientibus vocantur, nimirum secundum aliquid ius saluigium assecuta sunt.
Tertium quoque perfectum, quod scilicet secundum naturā, & omnes sibi debitas proprietates nullo indiget, multiplex est. Cuius rei fidem facit illa Moysi illustris, celebrisque sententia. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.] Et rursus illa Ecclesiastici. Opera Domini vniuersa, bona valde.] Atque illa Deuteronomij. Dei perfecta sūt opera, & omnes viæ eius iudicia.] Si enim ad bonū (vt docuit Dionysij Areopagita) integra causa requiritur, malū verò parit quicumque defectus; certè ea, quæ bona sūt, & valde bona, nullā, aut debite naturæ, aut proprietatum defectionem patiuntur, ac consequenter sunt vsquequaque perfecta. Si autem perfecta absolute (vt in Deuteronomio appellantur) non quidem hanc dignitatem habent, quia quadam speciali proprietate emineant, sed quia omnē naturæ, & perfectionum sibi debitarum integritatē cōtineat. Perfectum sanē, & totū, siue omne (teste Aristotele) idem

B
C
D
E

Clem. 4. Stromati ad mediū.
Aug. lib. 2. de peccat. mortis. & remis. c. 15.
Genes. 5. Eccles. 9. Dent. 32.

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.

Arist. 1.
cali c. 1.Chrys. h. b.
1. in Ge.
nes.

sunt; ea ergo, quæ integra sunt, non incepta tantum, aut mutila (qualia sunt omnia, quæ Deus facit, neque aut creatæ causæ imbecillitas, ipso Deo permittente, aut materia defectus infecit) rebus absolutis adiungi, ac perfectis debent annumerari. Quod si Deus, qui (vt inquit Chrysostomus) res, vt ex nihilo esset, produxit, eas bonas, & valde bonas dicit, ac de bonitate à se donata, atque perfectione collaudat; superuacaneum erit rationes inquirere, quæ res perfectas esse astruant, atque confirmant. Consideremus illas, & earum natura, potetia, & operatio, decor, siue pulchritudo, ordo, ac dispositio, finisque proprii assecutio, propter quem conditæ sunt, manifestè docebunt nos, tum sapientiam, bonitatem, & potentiam auctoris, qui eas fabricauit, tum perfectionem, qua ipsa constant, & in suo ordine locoque consistunt.

Vidimus, quid sit perfectum, ex quo iam ad indagandam perfectionis naturam, atque substantiam ascendamus. Perfectio est illa, aut natura, aut proprietas, qua aliqui rei secundum illam naturam, vel proprietatem optimè constituta, nihil deest. Dicitur natura propter perfectionem, quæ est secundum substantiam, nam & natura hominis est eius perfectio, quatenus tribuit illi debitam corporis molem; debitam membrorum pulchritudinem, & dispositionem, & potentias, aut facultates, tum animales, tum rationales, ita dispositas, vt sine vilo defectu valeant suas actiones elicere. Dicitur autè proprietas propter perfectionem, quæ est secundum accidens; num & sapientia, & mansuetudo sunt perfectiones hominis, etiam secundum naturam, aut substantiam imperfecti; quatenus in optimo statu collocat, ad sciendum, vel sustinendum requisito. Hinc autem liquet triplicem quoque esse perfectionem; primam omnimodam, & infinitam, cui non solum nihil desit, sed nihil etiam possit superuenire, & hæc est sola diuina natura, quam semper totis viribus adoramus, & nunc silentio præterimus. Secundam specialem ratione alicuius proprietatis, aut virtutis, qualis est cæcor in cygno, & sapientia in homine; nam tã iste quàm ille solent in his proprietatibus esse perfecti. Tertiã, quam substantiam, vel substantialem possumus nuncupare, non quia semper substantia sit, etenim accidentia propriam habent, & naturam perfectionem, sed quia conuenit rei, non secundum aliquid, quod illi accidat, sed secundum speciem, & naturam. Et sic perfectio hominis est, quod sit animal rationis capax & perfectio Angeli, quod sit spiritus intellectus & libero arbitrio pollens, & perfectio virtutis, quod sit affectio manens, eum in quo est ad optimum actum disponens, & perfectio spiritualis vite, quæ ipsi naturam, & substantiam vite spiritualis attribuit. Hanc duplicem perfectionem creatam in suas species distribuere pergamus, quousque sermo noster ad eam, quæ nostri institui est, explicandam accedat. Est enim etiã duplex; altera naturalis; altera supernaturalis: Naturalis est, quæ secundum naturam rei competit, & ad finem naturalem dirigitur; supernaturalis, quæ non est à natura, sed à Deo beatitudinis largitore concessa, & hominem, aut Angelum ad finem supernaturalem (qui æterna felicitas est) propinquè disponit, vel eidem fini supernaturali coniungit. Rursus, quæuis istarum in duas alias diuiditur, nam quædam est naturalis, alia verò moralis. Cum enim supernaturalis perfectio, ens quoddam sit, & propriam naturam habeat, licet homini, aut Angelo non debitam, sed ex gratuita Dei auctoris beatitudinis voluntate tributam; consequens est, vt secundum hunc intellectum possit, etiam in naturalem, atque

A moralem distribui. Perfectio naturalis est, quæ rem aliquam in bono, & sibi debito statu constituit, & talis est perfectio cæli, qua natura incorruptibili, splendore, pulchritudine, & aliis similibus expolitur, & perfectio gratiæ, qua infans recens baptizatus Dei amicus efficitur, & donis cælestibus decoratur. Hæc namque perfectio, licet secundum naturam supernaturalis sit, vt id, quod supra naturam est, à naturali distinguitur, vocamus tamen eam naturalem, quatenus à perfectione morali discernitur, quia gratia sola, & in paruulo considerata, nulla meritorum producit actiones. Perfectio moralis est, quæ mentem honestans, nos bonis moribus imbuit, & virtutis impedimenta potenter excludit. Hæc non solum virtutis, aut bonitatis naturam continet, sed operationem liberam, & secundum virtutem comprehendit. Quæ in hoc præcipue à perfectione naturali discernitur, quod hæc non est sita in nostra potestate, quis enim potest vnum capillum album facere, aut nigrum, aut adiciere ad staturam suam cubitum vni? Illa verò in nostra est potestate constituta, quam, gratia Dei adiuti propriis valemus meritis adipisci. Perfectionem naturalem, aut per modum naturæ, vel naturaliter habemus, vel Deo sine nostris meritis donante posidemus, at perfectionem moralem propriis actibus à Dei gratia, & libero arbitrio factis conquirimus. Illa donatur, ad istam inuitemur. Vnde Paulus: Gaudete, perfecti estote. Et Dominus cuidam vitam æternam cupienti dixit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.] Perfectionem naturalem Philosophi tractant, supernaturalem Theologi exponunt, moralem verò tam ad honestatem morum, quàm ad supernaturales actiones à Theologis exposita, iusti quæ tunc, diligunt, concupiscunt. Hæc ergo sola, quæ vite spiritualis perfectio vocatur, est huius operis argumentum, quam pro nostra tenuitate explicare curabimus. si forte loquendo, & scribendo nostram, & aliorum imbecillitatem, ad tantæ dignitatis amorem alliciamus.

Matth. 5.
Matth. 6.

2. Cor. 13.

Matth. 19

De tribus perfectionibus vite spiritualis, & quæ vestiganda.

CAPVT II.



Hæc autem perfectio vite spiritualis, non vna tantum est, sed in multas ipsa diuiditur, quas debemus principio numerare, vt in eam oculis coniciamus, quæ dumtaxat est nostra disputationis argumentum. Sicut enim, qui vellet ex hortulo amantissimo, vni tantum florem capere, aut omnium pulcherrimum, aut sibi gratissimum, omnes inter quos ille eligendus est, deberet inspicere, ita & nobis, qui ex vite spiritualis perfectionibus vnã solum ex professo tractare intendimus, re erit omnes considerare. Duplex igitur est status hominis iusti, alter, quem habet in hac vita mortali, in qua cõtemplatur Deum per speculum, & in ænigmate, alter, quo fruatur in vita immortalis, cum Deum facie ad faciem videbit, & sine vilo timore amittendi, possidebit. In illo statu, licet primitias spiritus habeat, & ipse intra seipsum gemit, adoptione filiorum Dei expectans, redemptionem corporis sui. In hoc verò gemitu femoto gaudebit, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. In illo, licet purissimus sit,

Rom. 8.

1. Cor.

15.

aliqua

Proo. 30. aliqua saltem leuiorū peccatorū macula inicitur, nam generatio, quæ sibi munda videtur & tamen non est lora à foribus suis:] ac in isto, licet omnium minimus sit nulla, aut peccati, aut defectus leuissimi forde fœdatur, cum scriptum sit: Quæ non intrabit in eam ciuitatem aliquid coinquinatum, aut abominacionem faciens, & mendacium.] In illo tamquam in prociñtū belli positus, semper habet, quod timeat, quod fugiat, quod præliando, & laborando prosternat, in illo tamquam victoriae corona redimitus, timorem, ac metum procul abicit, laborem seponit, & operum suorum fructibus gaudet. His duobus statibus duæ perfectiones spiritualis vitæ respōdēt, quarum altera propria est viatorum, qui sanctis desiderijs, & bonis operibus supernas mōiones petunt, altera propria comprehensorum, qui prosperè cōsumato itinere æternis gaudijs remunerati quiescunt. Harum duarum perfectionum non semel Ecclesiz patres meminerūt, Ambrosius ait. Duplex est forma perfectionis, alia medius, alia plenos numeros habēs, alia hic, alia ibi, alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futurā. Augustinus inquit. Iustitia secundum quam iustus ex fide viuit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera iustitia est. Quæ, licet non immeritō in aliquibus iustis, pro huius vitæ capacitate, perfecta dicitur, parua tamen est ad illam magnā, quam capit æqualitas Angelorum. Hieronymus dicit Ex quo perspicuum est, duas in Scripturis sanctis esse perfectiones, duasque iustitias, & duos timores, primam perfectionem, & incomparabilem veritatem, perfectāque iustitiam, Dei virtutibus coaptandam, secundam autem quæ competit nostræ fragilitati iuxta illud, quod in Psalmis dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens,] ad eam iustitiam, quæ non comparatione, sed Dei scientia dicitur esse perfecta.] Hæc, & multa alia, quæ silentio prætereo, de his duabus perfectionibus sancti Doctores scripta reliquerunt, sed earundem manifestè meminit Paulus seipsum iam imperfectum, iam verò perfectum appellans. Non (inquit) quodd iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam.] Et paulò post: Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus. Si imperfectus es Paule, quo pacto te perfectis annueras: Et si perfectus es, quare te imperfectum vocas, & perfectum esse negas: Certè Paulus imperfectus erat, aut non omninò perfectus, quia adhuc poterat amplius proficere, & nec dum ad perfectionem beatorum peruenerat, & simul erat perfectus, quia huius vitæ sublimissimam perfectionem, & perfectissimam sanctitatem acceperat. Quare hunc Pauli locum Anselmus interpretans, & ex Hieronymo, & Augustino decerpens sensum, ita ait. Sed de duabus loquitur perfectionibus, ostendens, omnem hominem, & vniuersam creaturam, quamuis ad perfectionem venerit, & tamen indigere misericordia Dei, & plenam perfectionē ex gratia, nō ex merito possidere. Et ideo perfectus erat Apostolus, iuxta modum humanæ possibilitatis, sed adhuc perfectionem expectabat ex dono supernæ largitiæ, vt æqualis fieret Angelis. Erat profectus viator, sed nondum perfectus patriæ possessor.] Sicut ergo sunt duæ vitæ spirituales; altera huius mortalitatis, qua militamus, altera illius æternitatis, qua in pace sumus. Ita duæ sunt perfectiones, vna, quam post multas de hoste victorias adhuc bellum comitatur, alia quæ post omnem de hoste victoriam pacem & coronam insequitur.

Sed duas istas perfectiones, si rem hanc exquisitiū consideremus, non tam naturam, aut magnitudinem

A quam earum qualitas, statūque discernit. Non quidem natura differunt, quoniam vtraque (vt postea dicemus) in vnione ad Deum sita est, atque in purissima charitate consistit. Charitas autem, tam illa, qua Deum in hac vita diligimus, quam illa, qua in patria ipsum amore complectimur, eiusdem naturæ sunt, vt Theologis Scholasticis placuit. Isti namque duo amores eandem rem diligunt, scilicet Deum rerum supernaturalium auctorem, beatitudinisque datorem, & propter eandem rationem, scilicet propter seipsum, & nullius lucri, aut commoditatis obiectum, quare eandem naturam habeant necesse est. Si enim amicum præsentem & absentem aliquando à nobis visum, aut nunquam oculis corporeis conspectum, eadem charitate diligimus, quidni Deum non visum in hoc auxilio, & visum in patria, eadem charitate diligamus? Certè si gemmam, quam in scrinio esse quadam credulitate apprehendis, audivissimè diligas, cum eam oculis certis, & fidem humanam in vnionem mutas, amorem, quoad substantiam non mutas: Quare ergo charitatem quoad naturam mutabis, qua aut diuinam naturam fide cognitam diligis, aut facie ad faciem visam amore prosequeris? Charitas nunquam excidit (ait Paulus) siue prophetiæ enagabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.] Prophetiæ quidem cessabunt, vbi nihil futurum expectatur, quod respiciamus, nihil obscure proponitur, quod per enigma cognoscamus, nihil longè positum offertur, quod ignoremus, sed omnia nobis necessaria, aut statui nostro congruentia in Deo representante, vel reuelante videbimus. Linguæ cessabunt, quia iniquitate amadata, & perfectissima innocentia recuperata, erit terra viuentium labij vnus, & sermonum eorūdem] quibus nō ad necessitatem, sed ad voluptatem vtetur, quibusque Deum sine vlla cessatione, & sine vlla inanum verborum admixtione, laudabimus. Scientia destruetur, quia necessitate organorum corporaliū eiecta, aut perfectionem modum habebit, aut omninò in aliam digniorem præstantiorēque mutabitur. Abscedet fides veniente visione, fugiet spes intrante possessione, charitas verò nunquam excidit, nunquam fugiet, nunquam abscedet, imò purius, tenerius, & efficacius, præsentem Dominum Patrem, & sponsum diligit, quem antea obscure cognitum, & absentem amauerat. Hæc (inquit Augustinus) maior fide, & spe ab Apostolo esse narratur, quia cæteris recedentibus, ipsa sola permanebit. Fidei enim succedit spes, & spei beatitudo, charitatis autem non transmutatio, sed sola restat perfectio.] Dicit autem fidei succedere spem, & spei beatitudinem, quia fides, quæ cognitio Dei efficax est, spem generat rerum æternarū: spes verò ad bona opera mouens, & ad mādatorum obseruationem instigans, nos ad felicitatem perducit. Est igitur perfectionis huius vitæ, & alterius vna substantia, vnæque natura, quas, non res amata, aut amādi ratio, sed sola status diuersitas, qualitatumque discernit.

Neque etiam duæ istæ perfectiones semper magnitudine differunt, quali huius vitæ perfectio sit parua, illius verò sit magna. Potest enim accidere, vt homo mortalis, adhuc in hac vita consistens, perfectionis gradibus cælestem Angelum superet, aut alium hominem beatū magnitudine charitatis excellat. Quis enim neget Beatam Virginem, in mortali carne viuentem, sanctos Angelos, iam Dei visione, & possessione fruētes, gratia, & charitate, & perfectione superasse? Cuius fundamenta (vt ait Sanctus Dauid) id est, sanctitatis exordia, in montibus sanctis.] Cuius ingressum in

h. 5.
in. 6.
17. 13.
1. 9

Ambros. 3. offic. c. 3.

Aug. li. 3. contra duas epistol. Pelag. ad. 7. tom. 7.

Hier. lib. 1. epist. 2. Pelag. c. 5. tom. 2.

Psalm. 142.

Philipp. 3.

Ansel. ibi.

B

C

D

E

1. Cor. 13.

Genes. 1. 1.

1. Cor. 13. Aug. ser. 1. quæst. 44.

Psalm. 86.

1. asr. Xul. ser. de Natiuit.

Petrus Damiani. serm. de Natiuit.

Matt. 11. Luc. 20.

Luc. 7.

Aug. 178 13. in Ioanem. Hilar. Chry. st. Ibi dem. Hierony. Beda. Matt. 11.

mundum (vt Laurentius Iustinianus ait) dilexit Dominus super omnia tabernacula Iacob: Cuius dignitas omnibus Sactorum dignitatibus excellitior, & coniunctio ad Deum gratie creatorem mater.] Præclare sanè dixit de illius sâctitate Petrus Damiani: Attende Seraphim, & videbis quicquid maus est, minus virgine; solumque opificem opus istud supergredi.] Quis etiâ dubitet Apostolos, & Apostolicos viros, vt Dominicum, Franciscum, Augustinum, Bernardum, & alios similes, antequam moralè carni exueret, multis Beatorum, siue Angelorum siue hominum charitatis dono præcelluisse, & perfectionis magnitudine superasse, quorum gratia ante palmam fuit minor, vita imperfectior, & operatio tepidior? Homines quidem iusti, cum caelestem patriam ingrediuntur, suorum meritorum præmia recepturi, ad Angelorum ordines assumuntur. Erunt enim sicut Angeli Dei in celo;] & æquales angelis erunt, & filij Dei, cum sint filij resurrectionis.] Tam felix autè, & honorabilis erit ipsorum in cælum ingressus, vt non omnes in primo Angelorum ordine sistant, sed quidam eorum ad potestatum, dominationum, & virtutum sedes procedant, imò & ad Thronorum, Cherubim, & Seraphim ordines progrediantur. In hac ergo vita æquales illis fuerunt in merito charitatis, & gratiæ, quos nò superiores agnoscunt in præmio felicitatis, & gloriæ. Atque aded sicut Seraphim, exèpli gratia, sanctiores sunt inferioribus Angelis, ita & homines illi, qui cum Seraphim æqualem sedem accipiunt, eisdè minoribus Angelis fuerunt in hac vita perfectiores. Nam sublimiorem sedem, & ampliorem gloriæ dignitatem in cælis, nò ambitio, non fraus, non vanus magnarum favor attribuit (quæ ingens gaudij materia est) sed maior humilitas, maior charitas, & maior decus perfectionis cõcedit. At Dominus Ioanem Baptistam collaudans, & prophetis omnibus præferens, minimo eorum, qui sunt in regno cælorum, manifestè postponit, dicens: Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.] Si verò minimus regni cælorum, Ioâni prodigio sanctitatis, prætat, quomodo non alios viatores post se relinquat! Sed Domini sententia intelligenda est; sè enim ipsù minimum, hoc est, humillimum, & opinione hominum minorè vocat, vt Augustinus, Hilarius, & Chrysostomus interpretatur. Qui minimus in regno cælorum, hoc est, in Ecclesia, sine vlla contouersia maior est Ioanne. Aut si de Angelis sanctis loquebatur, vt Hieronymus, & Beda sentiunt, minimum eorum Ioanni prætulit, non sanctitatis merito, sed gloriæ qualitate. Aliud est enim (vt Hieronymus ait) coronam victoriæ possidere, aliud adhuc in acie pugnare.] Non ergo semper perfectio quorumlibet beatorum est maior, quos aliqui sancti viatores, postquam in cælos admittuntur, immensis gradibus sâctitatis vincunt, & ingenti gloriæ maiestate præcellunt.

Quod igitur est huius duplcis perfectionis discrimen? Profectò magnum. Nam perfectio huius vite, via est, perfectio verò vite, immortalis est ciuitas, illa nauigatio est, ista portus illa negotiatio, hæc thesaurus: illa semen, hæc fructus: illa partus, ista letitia; illa pugna, ista victoria; illa labor, ista quies: illa periculum, ista corona: illa denique mentis puritas, aut multis obnoxia periculis, aut mille huius mortali tatis oppugnata miseris, ista verò sanctitate, meritis, securitate gaudens, & innumeris liberalissimi regis misericordiis contexta. Perfectio huius vite, quantumuis magna, semper ad vltiora progreditur, perfectio alterius vite, quamuis parua, æternæ mercedis possessione satiatur: illa Spiritus sancti

A ventis impulsâ terram viuentium, in qua quiescat, inquit, hæc ad terram illam optatam appulsa, nec desideris, nec meritis vitâ procedit: illa sine vlla intermissione spiritualis lucri auida, meritorum suorum pecuniis, preciosas gemmas virtutù mercatur. Ista omne lucrum in sinu propriæ mentis recõdens, eoque perfruens, nulla noui lucri auiditate distenditur: illa bonorum operum, non sine dolore, & lacrymis semina iactat, hæc cum gaudio, & exultatione præmiorum manipulos colligit, illa præ timore, & expectatione ingemiscit, & parturit vsque adhuc: ista filium Beniamin, filium vtique dextere Dei Patris editum videns, lacrymas tergit, & tam amabilis fortis amplexibus, & osculis gaudet. Illa, cum peccatis, cum imperfectionibus, cum dæmonibus, aut cum aliis hostibus dimicat, hæc victoriæ palmam in manibus, & in capite ferra reponat: illa nouis meritorum augmentis ascendendo laborat: hæc supremo seale gradu transenso, in sede regni requiescit. Illa demum, etsi magna sit, numquam, aut peccati pericula, aut tentationis miseriam nò timet, quia (vt sapienter scripsit Augustinus) sunt in terra iusti, sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pij, misericordes, temporalia mala omnia propter iustitiam æquo animo tolerantes. Sed si verum est, imò & quia verum est, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus,] & non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens,] non sunt sine peccato nec quisquam eorum tam arroganter insanit, vt non sibi pro suis quibuscumque peccatis dominica oratione opus esse arbitretur.] Ita licet pusilla, vnus paruuli, qui cum sola beatissimi gratia decessit, peccata ridet, & nullam tentionis molestiam admittit. In illa enim vita beata (vt idem Pater Augustinus ait) amaritudo, & omnis fellic asperitas locum non habent. Non est ibi malus, neque malitia, non est aduersarius, & inpu gnans, nec est vlla peccati illecebra, nulla est ibi indigentia, dedecus nullam, rixa nulla, nullum in proprium, causatio nulla, nullus timor, nulli inquitudo, nulla pœna, nulla dubietas, nulla violètia, nulla discordia, sed est ibi pax summa, chritas plena, iubilatio, & laus Dei æterna sine fine, secura requies, & gaudiu semper in Spiritu sancto.] Perfectio illa, quam omnia prædicta mala fugiunt, & bona sectantur, omnis erit peccati nescia, & ab omni pugna & perturbatione secura. Quemadmodum ergo metalli argenti gleba terra, ac facibus mista, vase argenteo purissimo, & politissimo pretiosior esse potest, at purior, & pulchrior esse nò potest. Et quemadmodum opes vnus mercatoris in nauî recõdita, & periculis nauigationis exposita, fortè maiores sunt diuitiis mercatoris alterius, quas nò in nauigio fragili, sed in munitissima vrbe seruaui, at nò sunt æque tuta neque aded suo possessori iocunda: ita huius vite perfectio maior quidem esse potest perfectione vite future, & opulentior, sed ista semper est purior, & pulchrior, semper felicitior, semper iocundior, atque securior. Quam neque facies imperfectionum, & pusillarum culparum sedant, nec cura rerum terrenarum fuscant: quam nec timores faciendi naufragium contristant, nec casus aduersi huius mortalitatis perturbant. O felix, atque beata perfectio, ab omni imperfectione libera, ab omni labe seiuncta, ab huius sæculi tristitiis, & miseris aliena, quæ ita Deum vides, vt numquam à tanta pulchritudine oculos contemplationis auertas: ita summum bonum diligis, vt nec ad momentum amorem abrumpas! ita thesauros felicitatis possides, vt ablegare non times! ita in omnibus Dei voluntatem exequeris, vt nec lacum

Aug. lib. 21. de pecc. meriti. c. 13.

1. Ioan. x. P/a. 142

Aug. in manu. c. 6.



vnguem ab illa discedas. Beati, qui nostrarum imbecillitatum, & timorum expertes, huius perfectionis purissima & illibata sunt compotes, quia nunquam ad malum regredientur, nunquam ex fastigio magni feruoris ad pusillitas tepiditates decident; sed iuxta illud, Homo sanctus in sapientia manet, sicut sol semper in eodem felicissimo statu permanebunt.

Ecclesi. 27.

psal. 29.

Nos ergo hanc caelestem perfectionem, qua solus hortulus ille aeternae patriae fert, votis ardentissimis speramus, & eam quidem Domine, te datore, obtinebimus, cum conuerteres planctum nostrum in gaudium nobis, cum conscindes faciem hoc mortalis corporis nostri, & circumdabis nos laetitia; interim tamen illam, quae in hac misera vita conceditur, & via ad aliam est, & assequi volumus, & tractare his libris aggredimur. Haec autem in duas alias distribuitur. Est enim in hac vita altera perfectio, paruula, infantilis, & imperfecta; altera magna, virilis, & pro modo huius exilij perfecta; quas naturalium perfectionum alicuius rei creatae similitudo declarat. Duplex quippe est naturalis perfectio hominis, vna quidem, qua nihil ei deest, vt verus homo sit, & naturam humanam participet, & haec nihil aliud est, quam animus rationis particeps, corpori iunctus, quem qui habet, verè & proprie integer homo vocatur. Ratione autem huius perfectionis, & paruulus recens natus, & homo caecus, aut claudus, aut ignorans, potest vocari perfectus homo. Alia verò, quia scilicet nihil homini deficit, neque in corpore, neque in animo, vt vniuersa humana munera praestet, aut est natura hominis in tali statu constituta, vt omnia officia sua sine aliquo impedimento exercere possit. Quam perfectionem si consideremus, ille homo tantum dicitur perfectus, qui corpus habet integritate membrorum, incolumitate, robore, & pulchritudine affectum; & animus scientiam entium naturalium, prudentiam rerum gerendarum, & virtutibus moralibus exornatum. Cuius comparatione alij homines, qui ista non habent, vocantur ignotus, miser, & imperfecti. Eodem modo duas vitae spiritualis perfectiones agnoscimus. Prima est, qua iustus spiritualiter viuunt, & peccatis mortuus, se iustitiae & Deo viuente exhibet, & hac pollent omnes, qui ablegatis talibus criminibus, gratiae sunt, & charitatis participes. Quare vas electionis Paulus, omnes fideles (quos pie hunc saltem perfectionis gradum habere credebatur, aut ad illam vocatos esse sciebat,) Sanctos appellat. Vnde scribit omnibus, qui sunt Romae, dilectis Dei, vocatis Sanctis, & Ecclesiae Dei, quae est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis Sanctis; & omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu, & sic in alijs epistolis, incipit. Sanctos vocat, ad hanc saltem primam perfectionem vocatos, quos iuxta vocationem suam viuentes, Dei gratia fouet, & Christi Saluatoris nostri charitas ornat. Secunda est, quia iustus non vti que spiritualiter viuunt, sed omnia iustitiae aduersa efficaciter arceat, & vniuersa iustitiae opera feruētissime exequitur, ita vt perfectionem illam caelestem, qua beati toto corde, tota anima, & tota mente Deo copulantur, secundum huius vitae possibilitatem, emuletur. Ad quam exhortatur Paulus, dicens: De cetero fratres gauete, perfecti estote, exhortamini, id est sapite, pacem habete. Perfectum enim gaudium, omnem materiam bonorum operum quibus gaudeamus adhibet, & omne peccatum, materiam scilicet doloris, abscondit. Et mutua per bonum exemplum exhortatio, & sensuum voluntatumque concordia non erit nisi inter homines vnde quaque perfectos; Dicente Augustino: Pugnant inter se mali, & mali; item pugnat inter se boni, & mali, boni verò, & boni, si per-

Rom. 1.
1. Cor. 1.
Ephes. 1.

1. Cor. 15.

Aug. lib. 15. de ciuit. Dei. c. 5.

Afecti sunt, inter se pugnare non possunt. Proficientes autem, nondumque perfecti, ita possunt, vt bonus quisque ex ea parte pugnet contra aliquem, quae etiam contra semetipsum. Vnus autem obtinuit, vt haec absolutissima virtus, quae mentem Deo iungit, & omnia mala pellit, & bona complectitur, sola vocetur perfectio, quam etiam sanctitatis nomine explicamus. Est enim sanctitas, vt Dionysius ait, omni scelere libera, perfectaque, & penitus incoquinata munditia. Quae munditia, non est profectio nisi illa regina virtutum, quae nos auctori munditiae, tum similitudine, tum amicitia sociat, & vniuersas virtutes secum affert, & omnem immunditiam peccatorum (prout in hac vita fieri potest) in cordibus nostris expurgat. Quod si sanctitas non solum puritatem, sed etiam firmitudinem, & stabilitatem signat eorum quae diuino cultui applicantur, quam ob causam a Thoma Aquinate religioni tribuitur, quamnam virtus hanc puritatem & firmitatem mentibus infert, nisi charitas, ita radicata, atque fundata, vt leuiore etiam maculas abluat, & mentem, quam impleuerit (quod ad ipsam attinet) nullo pacto a Deo separari permittat.

Diony. de diu. nom. c. 12.

D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 8.

Haec perfectio, quae media est inter perfectionem infantem, quam omnes iusti habent, & perfectionem caelestem, qua beati perficiuntur, in viris cuiusdam insignis & extraordinariae virtutis, quos communi sapientium sententia, viros spirituales, perfectos & sanctos vocamus, domicilium, & sedem inuenit, a qua ipsi nominantur, non iam incipientes, aut proficientes, sed plane viri sancti, atque perfecti. Haec, inquam, est, quae Apostolos magnos fecit, Martyres sublimauit, Pontifices, & Doctores mirabiles reddidit, Confessores, & Virgines in magnam dignitatem extulit, & perfectos viros, & feminas, qui semper fuerunt, & nunc sunt, & postea erunt in Ecclesia Dei, in arctissima Christi amicitiam euehit, & ab vilitate hominum peccatorum, aut a paupertate eorum, qui suis affectibus seruiunt, extrahit, & educit. Hanc perfectionem status Episcoporum praesupponit qui (teste Apostolo) debent irreprehensibiles esse, & status religiosorum inquirunt. Ideo enim omnia terrena deserunt, seipsos deiciunt, & sacris studiis semper intendunt, non vt quicumque charitatem adipiscantur, quam etiam coniugati, & milites, & mercatores, & alij temporalium rerum cura distenti, habere debent, sed vt a Deo accipiant (quam postea delineabimus) charitatem perfectam. Hic est mons propter cuius ascensum, vxoris abiecerant consortium, diuitias, & res temporales, Sodomis reliquerunt, & dilectis filiabus, hoc est, virtutibus cincti, ad alta atque sublimia desideria properarunt. Hoc sane putat Cyrillus in fuga sancti Loth spiritualiter praesignari. Huius enim viri historia enarrata, ista verba subiungit. Nam mens quasi per gradus & ascensus procedit ad perfectionem & pergit paulatim ad id cuius principium non erat capax, & ad meliora, ad quae accedete non erat idonea. Prudentia verò, & fortitudini spirituali, quasi duabus filiabus se committens, & infra relictae molitiae, & deliciarum amore, quarum typus erat mulier, habitat dein, quasi in monte & specu. Insinuat autem nobis per montem quidem sublimitas & fastigium spiritualis perfectionis, per speluncam verò, humilitas & soliditas perseverantiae in virtutibus. Huius ergo perfectionis naturam, & dignitatem (alijs praetermissis) volumus religiosi aperire, & subsidia ad eam assequendam proponere, vt in eis aliquae nostrarum lubricationum fructum habeamus? Tu domine, qui neminem spernis; ne-

1. Tim. 3. 2.

D

E

Cyrl. lib. de adorat. in p. post medium.

rg. lib. de per. meru. 3. 1. 42

in. in. 2. c.

minē tibi soli fidentem cadere à spe concepta permittis; emitte lucem tuam, & veritatem tuam, quæ mentis meæ cæcitatē dispellat; dona spiritum charitatis tuæ, qui glaciē meorum peccatorum difficiat: concede robur homini mille doloribus impedito, mille infirmitatibus circumdato, & multis curarum obstaculis prægruato, vt huius perfectionis altissimæ delicias exponam, & quod capi, ipse tua gratia perficiam.

Perfectionem vite spiritualis omnibus, sed præcipue religiosis esse possibilem.

CAPVT III.



AM perfectionem ratiocinādo deprehendimus; Cuius naturam inuestigare molimur, eam scilicet, quæ media est inter virtutē communium iustorū, & sanctitatem beatorū, quam possident homines vita spirituali conspicui, purissimis moribus egregij, arctissima Dei amicitia venerabiles, & cōmuni bonorū consensū, non tantū boni, sed verē sancti, atq; perfecti. Ad inueniendā autē huius perfectionis naturā, hominis quidem consideratione dignissimam, illud supponere, ac stabilire opus est, eam non tantū omnibus religiosis, verū etiam omnibus hominibus esse, cum Dei gratia, ac fauore possibilem, vt hoc iactō fundamento, quædam dona, aut quædam virtutum opera, vulgo admirabilia, à natura, & substantia veræ perfectionis excludamus. Et verō homines vniuersos posse cum Dei auxilio ad fastigium perfectionis ascendere, nullo negotio persuadet. Christi Saluatoris nostri ad perfectionem exhortantis auctoritas. Ille enim qui Apostolos suos instruens palam asseruit. Quod vobis dico, omnibus dico.] Rursus alio loco ait: Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.] Quam sententiam omnes profusos homines, siue nobiles, siue ignobiles, diuites, & pauperes, sapientes, & Idiota, senes, & iuuenes, viri, atque mulieres sibi dictā, & inculcatam, accipiant. Non enim in vocatione ad gratiam, ac sanctitatem, est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum] Non quidem diues, vt Reges sæculi, quorum opes distributione in subditos minuūt, quare non possunt nisi modicum dare; & multos eorum, qui accipiūt, pauperes, & paruulos derelinquere, sed ita diues, vt nunquam dando opes suas, aut exhauriat, aut minuat, etiam si omnes homines immensis sanctitatis facultatibus ditet, & ad honorem magnatum, aulæ suæ, imò & ad charissimorum filiorū dignitatem extollat. Si autem omnes, (quod ad se attinet) ad eximiam virtutem vocat, ad sanctitatem allicit, ad perfectionem inuitat, non denegabit assequendi gratiam, neque ascendendi facultatem. Quod namque inuitamentum esset, verbo vocare, impulsibus, & assati- bus ad epulas prouocare, & volentibus, ac venientibus ianuam occludere; Minime claudit Deus, minime claudit, sed ipsi homines vanis se prætextibus excusantes, viam sibi perfectionis occludunt. Illi ad cœnam magni regis inuitati quidem, & rogati, emptione dominatus, rerum temporalium sollicitudine, & deliciarum amore delinunt, cœnam illam opiparam, & inuitantis beneuolentiam repudiāt. Vnus

Marc. 13.
Matth. 5.

Rom. 10.

Luce 14.

A dixit: Villam emi, & necesse habeo exire: & videre illam, rogo te habere me exulatam. Et alter dixit: iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me exulatam: Et alius dixit: vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et ita, sæculares ambitionis appetitu inebriati, diuitiarum cupiditate dilenti, & carnis illecebris inefcati, seiplos ab amore perfectionis abducunt, & sanctitatis vias ambulare detrectant. Cū tamen benignus Dominus, eos per seipsum vocet, per Euangelij administratos ad perfectionem inuitet, ac non minus liberaliter, quam sapienter, potentissima auxilia, ad eam consequendam subministrat.

B Vis autē, quomodo Dei administri sine vlla exceptione, vniuersos ad perfectionem vocent, moueant, impellant? Apostolorum ergo verba excipe, quibus non religiosos tantum mouent, sed milites, sed agricolas, sed mercatores, sed conjugatos, sed omnes alios ad hanc viam gradiendam alliciunt. Paulus quidem ait: Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.] Et alio loco: Omni homini datas esse sacras literas astruit, vt perfectus sit homo, Dei ad omne opus bonū instructus.] Iacobus verō patientiæ occasionem, ait, hominibus dari, vt patientia virtutis structuram perficiat, & vt sint perfecti, & integri in nullo deficientes.] Petrus quoque secundum eum (inquit) qui vocauit vos sanctum, in omni conuersatione sancti sitis, quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.] Hæc, & alia similia, an solis religiosi dicuntur: an solatiis tantum, & his, qui onera rerum mandatarū, abiecerunt? An sæcularibus in Scripturis dicitur, vt sensuum, & voluntatum diffidia foueat? Vt faciam doctrinam contemnant: Vt in aduersis successibus patientiam, & sustentiam deserant: Vt in rebus ad salutem anime habendam necessariis, deficiant: Nullo modo; imò eadem præcepta & consilia his, atque religiosi proponunt, quæ via quædam sunt ad capeffendā perfectionem. Eadem obligatio imitandi Christum, & eius imaginē afferendi, sæculares arctat, quæ religiosos cōstringit. Illis igitur possibile est perfectio, ad quā citra omne dubium, nec vocentur, nec monerentur, nec si non ad eius adeptionem contenderent, corripentur, si ad eam ipsis aditus negaretur. Quamobrem sapienter Chrysolomus, hoc argumentum luculentissimè tractans, ex hac communi præceptorum, & cōsiliorum promulgatione, deducit, omnes, tam sæculares, quam religiosos, & quocumque nomine, aut munere censeantur, ad vitam perfectam fuisse vocatos. Multis namque recensitis præceptis saluberrimis, quæ Christus ore Pauli omnibus fidelibus proposuit, ad quæ perfecte cōplenda vix religiosi sufficimus, hæc verba subinfert. Nonumquā verò ad ipsi Christi imitationem summa vi exhortationis inducit. Cū enim nos admonet, vt proximum diligamus, à Christo potissimum sumit exempla. Itemque cū ad patientiam, eum ad humilitatem hortatur. Cū itaque non monachos tantum, vel Apostolos, sed ipsum etiam Christum imitari nos iubeat, eisque, qui non imitentur maxima intenter supplicia, qua tu tandem ratione monachorum perfectionem maiorem esse dicis, cū eadem perfectio omnibus proponatur, & omnibus imperetur? Si eadem perfectio omnibus proposita est, omnibus imperata, liquet eam omnibus etiam esse possibilem; neque enim impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus est (vt Hieronymus ait) nec damnaturus hominem

1. Cor. 1.

2. Timot.
3. Iacob. 1.

1. Petr. 1.

Leuit. 11

Chrysol. lib. 3. vituper. monastica.

Hierony. epist. 1 ad Demetriad. com. 9.

fuit

fuit, pro eo quod vitare non potuit. Sicut ergo in aula regia varia sunt aliorum officia, ac feruorum ministeria, & quidam magis, alij verò minus persona regis adherent, omnium tamē idem est scopus, & eadem cura vniuersis incumbit, scilicet, vt principi fideliter seruiant, & obedientissima ei præstent obsequia: Ita in hoc mundo, quæ domus magna est, ac regia summi Dei, variz sunt hominū occupationes, officia varia, statūque diuersi; & hi quidem in monasteria sedentes, tamquam amici familiarissimi vultui æterni regis assident; illi verò, quasi strenui milites, in validissimis Ecclesiæ prædijs constituti, quosque fideles ab hostium, non est, Demonum tumentur incursum: alij denique, nempe seculares, veluti ferri minoribus officiis deputati, infirma tractant, & temporalia disponunt, ac omnium idem finis est, nimirum regem diligere, & venerari, regis voluntates fideliter exequi, ab eius nutu, nec transuersum vnguem discedere, in quo (vt dicemus) posita est vniuersa nostræ mentis virtus, atque perfectio.

Vt autem diuina providentia, rem hanc, non tam verbis quam factis confirmaret, & eam hominibus tepidis, & æternæ salutis oblitis credibilem faceret, mortalium negotia, ita in omni ætate, ac lege disposuit: vt aliquos cuiusque status perfectos, ac sanctos efficeret, & veluti in mediū produceret, in quibus, & diuitias bonitatis suæ, & dignitatem, ad quam ascendere potest humana conditio, euidenter ostenderet. In lege naturæ Abel virgo, Seth coniugatus, Enos sacerdos, qui cepit inuocare nomen Domini, Noe agricola, qui cepit exercere terram, & plantauit vineam; Iob princeps, Abraham, Isaac, & Iacob diuites patres familias, & cura diuitiarum, ac filiorum vacantes, & alij non pauci tamquam splendidissima lumina sanctitatis fulserunt. In lege scripta Moses bellum, inter armorum strepitum inuictam fortitudinem cum immensa mititate coniungens, & quietem mentis ad sublimem, & facilem Dei contemplationem asseruans. Iosue innumerabilium militum antesignanus, in ipso prælij conflictu, cælis leges condens, & soli, & lunæ efficaciter quietem imperans. Samson iudex populi, dum alienigenam ducit uxorem, & viuens Philistæos persequitur, moriensque prosternit, Christi incarnationem, vitam, mortem, & fructum mortis præfigurans. David rex, vir secundum cor Dei in medijs sollicitudinibus regni, delicijs solitariorum perficiens, hymnos, Psalmosque decantans; & alij reges, atque prophete innumerabiles, seipfos perfectionis exemplaria præstiterunt. Et in lege gratiæ Apostolorum chorus, Martyrum acies, Pontificum concio, Doctorum exercitus, Confessorum ordines, Virginum turma, & alia sanctorum turba magna, & nullo à nobis numero comprehensa ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, imò & ex vniuersis officiis, dignitatibus, ministeriis, & statibus, ad sanctitatem pedibus ac manibus reptando ascenderunt, de mundo spolia, de diabolo triumphum, ac de carne victoriam reportarunt. Ex quo manifestè cognoscimus, omnes, qui in Christo baptizati sunt, posse Christum induere, id est, perfectionem acquirere, apud quæ non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque femina, sed omnes vnium sunt in Christo Iesu. Nam sunt Christi membra, qui possunt aliquam sui capitis sanctitatem consequi, & ad participationem eius gloriæ peruenire.

Si autē omnibus fidelibus perfectio possibilis est, quænto magis religiosi peruia erit, ac facilis, qui mundum, peccandi materiam abundè subministrant.

A rem, effugerunt parentes, fratres, & consanguineos, hostes domesticos repulerunt, opes, delicias, & proprias voluntates, vincula hominum mentes abstinentia, ruperunt, virtutum actiones, & cōtemplationis officia, pennas scilicet ad volandum in perfectionis montem, quæsierunt, & breuiter, omnia instrumenta ad eam facillimè adipiscendam, compararunt. Si seculares, mille obstaculis impediti, currere ad hoc brauiū supernæ vocationis possunt, quā ratione religiosi liberi, & expediti non possunt? Si struthiones in cælum volare valent, quid ni aquilæ valeant? Si hæc via tam recta est, vt stulti, modo velint, non errent per eam, quomodo sapientes finem vitæ tenere volentes, errabunt? Equidem si tanta est perfectionis lux, vt cæci eam videant, si tanta propinquitas, vt claudi eam teneant, si tanta suauitas, vt ægri gustent, & eius dulcedine capiantur, non puto, videntes, agiles, sanos, ac vegetos, impediri, quominus hanc stellam splendidissimā aspiciant, gemma pretiosam possideant, & huius cibi dulcedine recreentur. Ad vos ergo, o reges (qui sæculi vilitates conculcatis, & vestris affectibus imperastis) sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & ab eo fine, quem cupiistis, non excidatis. Cōcupiscite perfectionis sermones, & diligite illos, & habebitis in moribus disciplinā. Clara est, & quæ nunquā marcescit, sapientia (ipsa est sanctitas, atque perfectio) & facile videtur ab iis qui diligunt eam, & inuenitur ab iis qui querunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inueniet. Quis ita putet eam esse inuentu difficilē, cuius decor, & pulchritudo tanto splendore resurgat; vt paruulorum, & egenorum conspectū non fugiat, cuius in homines tam ardens est amor, vt se ipsam non quæsitam inuiter, cuius tanta benignitas, & affabilitas, vt nullius, quantūvis despecti confortium erubescat: Status quidem religiosorum (vt Dionysius Areopagita, & Thomas Aquinas docent) status perfectionis est, & hominum ad perfectionem tendētium; quare sicut Dominus Israelitis ex Ægypto in terram promissam pergentibus, omnia ad iter necessaria, cibos è cælo delapsos, vestes nulla vetustate consumptas, vires ad ambulandum, duces qui eos ducerent, imperatorem qui numerosissimum populū gubernaret, & alia quæ desiderare possent, abundè suppeditauit, ita vt, quod ad Deum spectabat, efficax esset eorum in terram sibi datam ingressus: Ita & religiosi omnia assatim præbet temporalia, & spiritualia adiumenta, quorum præsidio, ex vitæ secularis abiectioe ad terram excelsum, lacte, & melle manantem, hoc est, ad perfectionem confédant. Dei autem omnipotētis affatibus euocati, subsidijs adiuti, impulsibus incitati, exercitijs Angelorum protecti, quomodo non poterunt, aut iter capere, aut hostes propellere, aut ad destinatum finem perfectionis venire?

Sed vanum ac superuacuum videbitur in te tam clara, atque perspicua comprobanda, moras facere: Quis enim dubitat vniuersos religiosos cum Dei gratia esse posse perfectos? Non esse hoc argumentum inutile illi planè cognoscent, ac fatebuntur, qui religiosorum mētes, & cogitationes, non summis labijs (vt aiunt) sed intimè, & ex professo tractauerint. Sunt enim aliqui inter illos, & fortassis nō pauci, qui si non verbo, at abscondita cogitatione, aut pusillanimitate, sibi existimant, ianuam perfectionis esse præclusam. Quidam enim ingenua rusticitate, ab ignorantia, alij corporis imbecillitate, & aduersa valetudine, alij negotijs ac curis obediētis imperio

demandaris,

Genes. 4.
Genes. 9.

Sapient. 6.

Dionys. de
eccl. Hier. c. 5.
3. D. Tu.
2. 2. q.
124. ar. 5.

Galat. 3.

demandatis, alij demum perpetua quadam mentis ariditate, affectuum vehementia, & multarum tentationum incurribus, putant se ab allequutione perfectionis impediri. Idcirco despondunt animum, in media via fatigati sedent, à virtutum desiderio, ad alia vana, & inutilia mentem auocant, & satis bene secum actum esse existimant, si vtrumque boni sint, nec iam curant sancti esse, atque perfecti. Sed faculat à mentibus religiosorum tam falsa, & perniciofa cogitatio, sciant se posse vias perfectionis ingredi, sanctitatem assequi, & his, quæ sibi impedimenta videntur, iuuari potius, nõ præpediri. Nam si infelices, o religiose, & literarum peritia destitutus, quidnam tibi deesse existimas ad magnam sanctitatem captandam, quam non scientiæ ambitiofa pariunt, sed gemitus, sed affectuum mortificatio, sed humilitatis, mansuetudinis, & omnium virtutum exercitatio; sed mandatorum, & regulæ tuæ obseruationes efficiunt. An sine literis non poteris cælum pulsare precibus, implere gemitibus; an non poteris ceptum cohibere; non poteris esse humilis, mansuetus, & obediens; non poteris mandata seruare, & Deum toto corde, tota anima, & tota mente diligere? Si hæc sine scientiarum cognitione, non tamen sine adiutorio gratiæ Dei in tua sunt potestate, quantumvis sis rudis, atque imperitus, vales perfectionis vias ambulare, & tandem illam amplecti, & possidere. Vnde Cassianus vim illius Davidici carminis quo Dei auxilium imploramus, multis exaggerans, eius efficaciam, his notandis verbis concludit. Constat neminem profus ob imperitiam literarum, à perfectione cordis excludi, nec rusticitatem obesse ad capessendam animæ puritatem, quæ compendiosissime adiacet cunctis, si modo sanam, & integram intentionem mentis iugi ad Deum versiculi huius meditatione seruauerint.] Ecce sanctus hic pater instrumento tam facili, vno scilicet versu cum ingenti affectu sapius repetito, iudicat perfectionem obtineri posse; & tu tot præsidis cinctus, tot instrumentis adiutus (quia scientiæ desunt) ad eam appropinquare desperas? Cum tamen scientiæ (quod non semel vidimus) intellectum fascino, affectum voluntatis arefaciant, quo, tãquam manu cordis apprehendimus puritatem, & occupationes magni momenti, quæ literas subsequi solent, velut vmbra corpus, mentem in rebus terrenis harere faciant, & vinculis curarum deuinciant.

Quid autem de aduersa valetudine, & de corporis imbecillitate, aut de dolorib⁹ capitis, aut stomachi queritaris, quasi hæc à cæpto sanctitatis cursu te derineant? Cum apud Iacobum Apostolum legas: Quoniã probatio fidei patientiã operatur: patientia autem opus perfectum habet.] Et apud Paulum: Cum infirmor, tunc potens sum, & virtus in infirmitate perficitur.] At inquires, morbo, aut dolore cruciatus, nec ieiunare, nec vigilare, nec corpus cilicis, & flagris domare possum. Fateor: sed tamen patientiã habere potes; indigentiam rerum necessariorum sine murmure, & alacriter ferre potes, diuinã voluntati te & tua omnia submittere potes; Deum, quantumuis agrotus, aut imbecillus, amare potes. Si autem hæc potes, absq; dubio potes esse perfectus; quoniam hæc sine vlla comparatione efficaciora sunt, quàm ieiunia, aut vigilia, aut cilicia, aut alia huius generis ad perfectionem obediendam adiumenta. Si enim corpus atteras, & animã prauis affectibus robustam relinquant, ferè nihil facis; at si animam patientiã, paupertate, & amore purifices, licet corpus, aut delicatè, aut nõ nimis seuerè tractes, multũ vtiq; profecisti. Seruulus ille à Gregorio nõ semel cele-

Cassian. col. 10.6. ubi.

Luc. 11.

2. Cor. 12.

A bratus, paralyti resolutus, indigentia pressus, patientiam, est sanctitatem allequutus, & qui viuens aspicientibus horrorem incullerat, moriens affantes suauissimi odoris fragrantia recreauit, & Angelis constipatus, in cælum ascendit, suæ tolerantia præmia cumulatissima recepturus. Quid tu ob modicam ægritudinem, mentis puritatem te allequi non posse caularis, quæ non vinculum est, sed ad iter perfectionis agendum, commodum aptumque vehiculum? Disce potius ex illa, quia aduersa corporis valetudinis in secundam mutatio (vt inquit Basiliius) quædam esse veluti confirmatio debet, ne de animæ sanctitate penitus desperemus, quali verò ea ex peccatis ad pristinam integritatem per poenitentiam se recipiendi facultatem omnem amiserit] Et sicut corporis, ita & animæ incolumitatem procura, certus quoddam ea, quæ ad te pertinent faciens. si non corporis salubrem valetudinem, at sine vlla dubitatione animæ perfectionem allequeris.

At occupationes (ais) sunt mihi multæ, quæ innumerabilibus maculis meipsum inficiunt, & animum in diuersa, ac varia dispersiunt, & propriæ virtutis augmento vacare non linunt. Quomodo enim mihi ipse vacabo, quem obedientiæ onus ita premit, vt nec legere, nec orare, nec quiescere, nec dormire permittat, sed semper rebus exterioribus inhærete cõpellat? Hæc, quoq; inanis excusatio est, quia perfectio, non sola proluxa oratione, aut lectione, nõ sola quiete, verũ etiã occupatione, & labore coquiritur. Si autem Deus te nõ melle, sed felle, nõ latitia, sed afflictione, nõ otio suauis, sed amaro negotio mundare vult, atq; perficere, cur obmurmuras? Cur impossibilitatè prætextis, & te duci, ac gubernari non sinis? An occupationibus sanctos Ecclesiæ Pontifices vincis, qui totam Ecclesiã, veluti humeris sustinent? An Doctores superas, qui orando, docendo, & disputando, hostes fidei, & virtutis euertunt? An Prælatos excellis, qui regimini habenas moderantes, non sui sunt, sed subditorum, & sub honoris nomine, omnium minimi efficiuntur, & serui? Nõ putas curas, & labores tuos posse istorum sollicitudinibus coarquare. At inter istos, non vnum, aut duos, nõ decem, aut viginti, non deniq; paucos, sed innumerabiles sanctissimos, ac perfectissimos inuenies. Inter labores ergo, & occupationes assiduas perfectio haberi, & habita cõseruari, & cõseruata auereri, ac promoueri potest, si quidẽ ab obedientia, virtutum omnium coltrice iniungantur, aut à charitate, totius boni matre imperentur. Quam obrem ab occupationibus tuis, quod superfluum est, amputa, quod seculare, & prophanium est, resecata, quod distortum, dirige, quod inquietum remoue, quod distractum collige, quod tepidũ, ac triste, luce alacritatis, & igne amoris, succede; & erit tibi nõ imperfectiois seminaria, sed virtutis, & perfectionis instrumenta. Abiice, inquam, labores irreligiosos, & negotia secularia, quæ religiosus, nec obedientia imponit, nec charitas precipit. In sanctis autem laborib⁹, & religiosa vacatione dignis, rectã intentionem habebas, mentis tranquillitatem diligas, cogitationes tuas ad Christum colligas, tepiditate seruore, & tristitia spirituali alacritate cohibeas, nec verearis eorũ causa à celeri cursu perfectionis impediri. Qui enim operari non vult, & potest (inquit Hugo) viuere, sed languet, viuere potest, sed languet voluntate.] Si ergo otium est languor; sanctus, & fluctuosus labor, iam est aliqua sanitas, quæ ad absolutam animæ incolumitatẽ scilicet, ad perfectionem, properamus. Nec credas opportunitatem tibi ad orandum, & legendam deesse, modo velis labores superfluos, & tibi non iniunctos

Gregor. in Dialog. 6. hom. 11. in Euang.

Basil. re. ref. Hist. 11.

C
D
E

Hug. 2. de clar. a. nima. c. 13.

fuccidere

1. Corin. 13.
succidere : siquidem illi non deerat, cuius instantia quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.] Homines in rebus terrenis admodum occupati, & perpetuo obsequio principū, aut regum addicti, ut illi, qui à secretis sunt, qui nec ad momentum possunt à praesentia dominorum abesse, si ament, opportunum tempus quaerunt, ut amatam videant, & alloquatur, & cupidis potiantur amplexibus : quaerunt, nec suo desiderio frustrantur, quia efficaciter inveniunt. Ama igitur, & tu Dominum Deū tuū, rerūque caelestium desideria concipe, & ipse amor te occupatissimum, & curis exterioribus onustissimum edocebit, quomodo opportunitatem orationis captes, & ei quem vivacē diligis, sanctis amplexibus dilectionis, iūgaris.

Nec tandem te mentis ariditate, affectuum naturalium impetu, aut tentationum molestia, defendas; quia haec, si incidunt, nec veram virtutē tollunt, nec viam perfectionis decurrendam impediunt. Si enim dulces lacrymarū fontes exsiccati sunt, si caelestes cōsolationes abierunt, si caelitus demissa intelligentia lux, & cordis tranquillitas, letitiaque fugerunt; at perseverantia non fugiat, cognitio propria indignitatis non abeat, mentis cōpunctio, exterior culpam confessio, & solidarum virtutum seruos, non intepescat, quae sine consolationū abundantia, imò & cum desolationū copia poterunt nos ad salvatorem nostrum deducere, atque ad culmen perfectionis provehere. Non te oportet, o homo, ut perfectionē assequaris (verbis Bernardi vtor) maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est. Non grandis, inquam, tibi ostenditur via, usque ad temetipsum occurre Deo tuo: Prope est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo, usque ad cordis compunctionem, & oris cōfessionē, occurre, ut saltem ex eas de sterquilinio misera conscientia, quoniam indignum est, illuc auctore puritatis intrare.] Brevis sanè vita est, quae duobus passibus, compunctione, & humilitate conficitur, quae sine multis consolationibus peragens, aliquando cupitam perfectionem apprehendens. Si autem affectus indomiti animum turbant, & ab officio charitatis auocant, moderetur eos bona voluntas, mortificationis exercitatio comprimat, & Domini sanctus timor coerceat, ita fiet, ut sint non fomenta iniquitatis, sed adiumenta virtutis.

1. Reg. 17.
Dauid gladio Goliath sibi in mortem praeparato, infestissimum hostem occidit, ita & tu maerone affectus indomiti, in communem adversariū conversi, caput eius amputa, & te ipsum ab imminente discrimine libera. Tunc verò gladium in adversarium converteris, cum effraenā passionem, aut cupiditatis, aut irae colibes, & illam cohibendo Daemonem te volentē ferire, eodem gladio mortificatae passionis percutis. At rex Asa tibi etiam offert, ex immoderatis affectibus proficiendi documentū, qui universo Iuda congregato, tulit lapides, & ligna Rama civitatis aduersae, & ex eis aedificavit Gabaa, & Maspha vrbes ditionis suae, quae sibi obtulerant, atque vectigalia persolverent. Quid namque est, lapides, & ligna Baasa tollere, quibus Rama vrbs exaltata & rebellis extruitur, nisi affectus nostros vitios, ac peccatis seruietes & ad gehennā aedificantes, in nostrā potestate mortificatione, ac in nostrum dominiū redigere? Et quid est, his affectibus Gabaa & Maspha, id est, collem, & speluncā aedificare, nisi quod hi affectus coerciti, & ad moderationem redacti, altitudinem perfectionis faciant, & verae virtutis extructioni deseruiunt? Nemo igitur de virtutibus conqueratur, quos si coerceat, magni meriti, & insignis cuiusdam virtutis subsidia atque adiumenta experietur. Idem quoque de tentationibus esto iudiciū, quibus Dominus

Ber. ser. 1. de aduer. 10.

1. Reg. 17.

1. Paral. 15.

A) nos molestari permittit, non ut abiciat, sed ut spiritualē Isaaclem erudiat, & adeptā pracliadi consuetudine ad charitatis perfectionem promoueat. Praclare enim, & sapienter scriptum est à Laurentio Iustiniano. Vehementer excitat ad profectum charitatis tentatio. Electorum namque desideria deprimuntur aduersitate, ut proficiant, sicut ignis flatu premittitur, ut crescat, & vnde, quasi extingui creditur, inde roboratur, sic nimirum, cum per tentationem humilitas in anima proficit, prospera est ipsa aduersitas, quae mentem, & charitatem accendit, & ab elatione custodit.] Si itaque tentationes humilitatem custodiunt, virtutes adaugent, & charitatem, hoc est, perfectionem ipsam multiplicant, non est cur tentationibus, o frater, tuas imperfectiones excuses, sed potius tuae ignaviae in pugnando, & inertiae in praeliando, cum hostibus tribuas. Liqueat ergo perfectionem omnibus hominibus, tam saecularibus quam religiosi esse possibilem, nullumque esse impedimentū, quod nos volētes ad veram virtutē currere, à cepto cursu detineat. Nam mandatum hoc, o homo, dicit Dominus, quod ego praecipio tibi hodie (& quidem mandatum dilectionis, id est, perfectionis est) non supra te est, neque procul positum nec in caelo situm, ut possis dicere, Quis nostrum valet ad caelum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut caeteris & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, ut possimus audire, & facere, quod praecipitur est? Sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud.]

C) Quid nobis facilius illo opere, quod in corde nostro (si volumus) habemus reconditum, hoc est, in nostra voluntate collocatum? Iam ergo, quid sit illud in quo perfectio consistat, tam vniuersis facile, tam in potestate omnium constitutum, non tamen sine Dei gratia, quae nulli non praesto est, dilacide ac sigillatim exquiramus.

Iudic. 3.

Iust. in li. quo vita erat. de charit. c. 14.

Dem. 30.

Perfectionem non esse sitam in gratis datis gratis.

CAPVT IIIII.



D) APIENTIBVS, & insipientibus debitor sum (inquit vas electionis Paulus) hac breui, sed vtilissima seretia denotans, veritatis magistros, ita debere sermones rerum spiritualium interpretes attemperare, ut non solis sapientibus, & peritis seruiant, sed etiam insipientibus, & imperitis proficiant. Hi enim instructione indigent, quae intellectum illo strent; illi autem, non tam instructione, quam persuasione opus habent, quae voluntatem inflammet. Quare ita Doctoris oratio paranda est, ut & insipientes illuminet, & sapientes doctrina illuminatos, ad virtutis amorem alliciat. Quod secundum Gregorium Sapiens praedicator admonuit, dicens. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. [Fontes enim foras praedicator deriuat, cum exterius aliis virtutem praedicationis infundit; & aquas in plateis diuidit, cum in auditorum frequentia pro vniuersiusque qualitate, diuina eloquia dispensat. Nos ergo, qui magistri perfectionis officium, licet indignè, suscepimus, ita opus istud elaboratur conamur, ut pro tenuitate nostra omnibus legentibus, siue illi ignorantes sint, siue scientia mysteriorum caelestium instructi, vile, ac fructuosum existat.]

Rom. 1.

Prou 5.

Greg. 3. p. psal. ad monit. 25.

Qua

gor. in dog. 2. 1. 1.

7. re. 2. 1. 1.

Quamobrem intentionis nostrae est, aliqua verè magna sed oculis vulgarij hominum, plusquam expedit, illustria & splendida, a nomine perfectionis reuocare, vt ipsi sciant dona Dei iuxta cuiusque naturam ac praestantiam aestimare, & maiorem praestantiori, minore verò minori locum in suo corde tribuere. Et sicut Philosophi atque Theologi naturam beatitudinis indagantes, diligenter inquirunt, an in diuitiis, vel honoribus, an in fama, vel gloria, siue clara cum laude notitia, an in potestate, vel dignitate, an in voluptate, vel aliquo bono corporis, & tandem, an in aliquo bono creato, aut solùm in boni in creati possessione consistat: ita & nos perfectionis naturam (quae inchoata beatitudo est) inquirentes, accuratè inuestigabimus, an in quibusdam mètis praeclaris donis, nimirum, an in gratis gratis datis, an in consiliis Euangelicis, an in praecipis decalogi, an verò in aliquo alio sit ipsa constituta. Cuius tractationis haec erit utilitas, vt cognoscentes perfectionis substantiam, & aliorum donorum (quae, aut instrumenta perfectionis sunt, aut effectus, aut indicia) naturam vestigantes, illam vt finem, & scopum consecretur, haec verò in suo ordine solùm, vt praesidia ad illum finem assequendum conferentia, quaeramus. Et quidem à gratis gratis datis sumimus tractationis initium, quae sicut ignorantium oculis magis lucent, & clariùs emicant, ita etiam magis à perfectionis natura atque substantia distant.

1. Cor. 12.

Has autem gratias Paulus his verbis enumerat. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatè: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae; alij autem sermo scientiae secundum eundem spiritum; alteri fides in eodem spiritu; alij gratia sanctorum in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum; alij genera linguarum; alij interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult. Magna sunt, & praeclara ista dona Dei, quibus sancta Mater Ecclesia praedita, Spiritum sanctum habitatorem, & gubernatorem agnoscit. Nā talia dona supra naturam, & supra vires humani generis solus ille huic congregationi fidelium dare potuit, qui supra omnem naturam est, & omnium rerum, tam naturalium quam supernaturalium habet potestatem. Magna, inquam, & praeclara sunt haec, & super aurum & argentum fidelium oculis pretiosa. Est enim sermo sapientiae, quo aliqui Doctores Ecclesiae, non ex literis, quas didicerunt (vt inquit Ambrosius) sed confuso spiritus sancti res diuinas, & sempiternas, quae sunt supra captum humanum, ad aliorum utilitatem explanant. Sermo scientiae est, quo alij Ecclesiae sapientes, mores instruunt, & quid in quouis statu, aut modo viuendi liceat, quid non liceat, quid bonum, quid malum sit, & inter mala, quid leue peccatum, quid graue crimè, studio & labore discernunt. Fides est, non quidem illa manens affectio, omnium virtutum fundamentum, qua Deo per Ecclesiam mysteria reuelanti credimus; sed aut sermo clarus & perspicuus, res fidei imbecillioribus proponens, & pusillis aperiens, vt Thomas Aquinas vult, aut quemadmodum Ambrosius, & Anselmus interpretantur, constantia ad profitendam fidem, & coram principibus saeculi, & in medio tormentorum confitentiam. Quam gratia sanctus David illo carmine expressit. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebat. Gratia sanctorum est, qua Dominus, vel ad confirmandam fidem, vel ad declarandam alicuius sanctitatem, aegris, non medicamentis adhibitis, sed modo plane miraculoso, & supra naturam, curationem affert. Operatio virtutum est,

Amb. in 1. Corint. 12.

Thom. Amb. Ansel. Ibid.

Psal. 118.

A qua prodigia, & opera mirabilia patrat, vt cum Moses ictu virgae, mare diuisit, vel Iosue imperio vocis suae solem & lunam in caelo detinuit. Prophetia est, quae ex diuina reuelatione praeterita, occulta pandit, praesentia abscondita aperit, & futura nobis ignota praedicit. Ad quam Thomas Aquinas raptum reuocat, quo nomine omnes extases, & alienationes a sensibus, siue ex lucis excessu, siue ex magnitudine deuotionis exortas, & vniuersas diuinas reuelationes, & dulcedines spiritus, ac consolationes caelestes intelligo. Discretio spirituum est, qua homo qualitatem secretorum cordis intelligit, & quid sub specie boni sit, vel à proprio spiritu inuictum, vel à maligno spiritu immisum, vel simpliciter bonum à Deo iussum, aut consultum discernit. Donum linguarum est, cuius adiumento doctores linguis ignotis loquuntur, & aliena idiomata, vt eis ad ministerij praedicationis vtantur, non labore, & studio, sed beneficio Dei omnipotentis intelligunt. Quod Apostoli omnium nationum Patres, atque magistri, in ipso Spiritu sancti super illos aduentu, perceperunt. Neque enim sine magno incommodo illos docere possent, à quibus non intelligerentur, aut quorum linguas ignorarent. Interpretatio sermonum est, qua diuinas Scripturas ad confirmationem veritatis interpretamur, & abditos earum sensus, siue historicos, siue allegoricos, siue morales, siue anagogicos in medium eruimus. Cuius doni duplex est fructus. Alter, vt ignorantes doceat; alter, vt duos, & proteruos flectat, & ad bonum emolliat: propter quos fructus huic dono adiunctum est, vt auditores lectorum se delectet. Sicut enim natura cibis, saporis suauitate; ita gratia doctrinae, dulcedinem vocis, & verborum decorem indidit, ne homines veritatem, sicut cibum inuisum, & nullo sale conditum horreant, quo mens ad vitam gratiae, aut obtinendam, aut seruandam reuertitur. Haec igitur sunt gratiae gratis datae, quae fideles, praesertim Evangelij ministros, exornant, & apud populos illis honorem, & auctoritatem conciliant, & sensum quamdam ingerunt opinionem sanctitatis.

Exod. 14. Iosue. 10.

D. Tho. 2. 2. q. 175.

Sed non in his perfectionis ratio, naturaque consistit, neque continuò sequitur. Iste est Doctor egregius, & scriba in lege doctissimus: iste est, aut propheta, aut miraculorum effector: iste est eximius rerum caelestium contemplator, & magnarum consolationum spiritualium susceptor, ergo est vir sanctus, atque perfectus. Nam si perfectus est (vt superius diximus) cui nihil deest; istis, qui praesentis donis praediti sunt, si ea tantum habeant, non solùm aliqua ad perfectionem obtinendam, desunt, verùm etiam spiritualis vita deest, & alia dona illustriora, nimirum virtutes solidae, atque perfectae deficiunt. Etenim posse ista dona sine vita spirituali, nimirum sine gratia, & charitate subsistere, Dominus ipse, non obsecris verbis, sed palam aperteque protestatus est, dicens: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Daemonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia numquam noui vos. Discidite à me, qui operamini iniquitatem. Quomodo perfectio vitae spiritualis, in his donis erit constituta, quae nec vitam spiritualem praerigunt, & in Deo mortuis, & gratiae hostibus possunt inueniri: Iure profectò Dominus gaudium ex harum gratiarum possessione natum comprimit, & ex alia potiori causa, nepe ex vera virtute, atque ex aeterna praedestinatione latèdum nobis esse pronunciat. Ecce (inquit) dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, &

Matth. 7.

Lucas 10.

scorpiones

scorpionones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Venit enim in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis. O magna sapientia, à sapientibus, atque prudentibus sæculi abscondita, & simplicibus ac paruulis reuelata! Quia nec diuites sunt prophetae, nec doctores, nec miraculorum patratores, nec diuinarum illustrationum aut consolationum possessores, si non vltra progrediantur, & in his tantum donis, gratiisque consistat, sed diues est, qui sine his miserabilibus Deo placet, & veram virtutem, ac sanctitatem inquirat. Timeamus (ait Chrysostomus) maximamque curam sanctæ conuersationis ad amemus, nec putemus minus aliquid nos habere, quia nos modò signa non facimus. Nihil namque tunc nobis propter illa amplius reddetur, sicut nec minus dabitur, quia signa non facimus, si vti que omnibus studuerimus abundare virtutibus. De mirabilibus siquidem non absque dubio debitores efficiemur Dei, pro bene acta vita Deum habebimus debitorem.] Equidem optime. Nam si sanctitatis operibus præmium mercesque decernitur, propter hæc autem opera, licet mirabilia, si sola, & merito sunt charitatis vacua, nihil sumus recepturi, liquet, quia non in illis, sed in sancta, & secundum legem Dei Christiana conuersatione, sanctitas atque perfectio consistit. Hæc perfectio prona ac facilis est nobis cælesti præsidio munitis, neque quisquam est (vt iam ostendimus) aded vilis, aut imbecillus, aded impolitus, aut rudis, qui non possit ad perfectionem aspirare, & ad virtutis fastigium peruenire. At illa dona, non cuique facilia sunt, non in cuiusque potestate constituta, sed multis Ecclesiarum fidelibus, sine vlla hæsitacione impossibilia. Rudis enim quomodo mysteria cælestia pandat, & verba sapientiæ, ac scientiæ profundet? Idiota quam ratione arcana fidei, & abscondita rerum supernaturalium exponet? Vocatus ad vitam communem, quo pacto, aut ægris subito sanitatem, aut aliis miraculosas functiones imperiet? Electus, vt sibi soli vacet, qua via per prophetiam occultorum notionem aperiet, aut per discretionem spirituum cordis secreta rimabitur, aut per linguam omnibus nationibus in magistrum, & præceptorem dabitur, aut per sermonum interpretationem ad sacras Scripturas interpretandas euehetur? Ad ista querenda nullus incitatur, licet quibusdam ob vtilitatem aliorum gratis Deus, ac liberaliter tribuat, ad perfectionem verò consequendam nullus non à Domino permouetur. Quare Paulus his gratiis enumeratis non iubet, vt eas, aut cupiamus, aut æmulamur: sed æmulamini (inquit) charissimata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstrat.] Non est hæc alia nisi charitatis via, quam cupere non est ambitiosum, quam æmulari non est periculosum, quam postulare non est inane, quia id cupimus, id æmulamur, id postulamur quo Deo vtiliter iungimur, securè copulamur, & sine vlla superbia, aut ambitione coharemus.

Hoc ergo querendū, hoc tota mentis contentione postulandum est, quod ad voluntatem pertinet, quod ad opus procedit, quod nos bonos, & sanctos facit, illæ verò gratiæ, quæ sine vllis meritis in vsu Ecclesiarum conceduntur, intellectus perfectiones sunt, quare possunt intellectum illustrare, non autem nos ipsos, aut à vitiiis alienos, aut virtutibus imbutos, aut Sanctos, atque perfectos efficere. Voco autem eas intellectus perfectiones, quoniam (vt Thomas Aquinas ait) ad docendum alios, & persuadendum, data sunt. Sermo enim sapientiæ, & scientiæ, & fidei principia

salutis nostræ, & conclusiones inde deductas, siue ad res diuinas, siue ad humanas spectates proponit Dominum linguarum, & interpretatio sermonum proponenda apte concinnèque declarat. Dona sanitatum, & miraculorum, & prophetiæ, & discretio spirituum, proposita, & declarata signis, quæ solus Deus cognoscere potest, efficaciter ac vere confirmant. At sanctitas, atque perfecta virtus, non in cognoscendo, & subtiliter disputando, sed in amando, & rectè operando posita est. Quid enim refert vitiorum malitiam, & virtutum decorem agnoscere, si nec illa fugias, nec istas amplectaris? Quid refert, Dei perfectiones, & legis suæ puritatem callere, si nec istam custodias, nec illas in propriam mentem, precibus, desiderijs, & imitatione transfundas? Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.] Non igitur boni cognitio, sed bona operatio nos æternis plagis eximit, & æternis præmijs dignos reddit. Et si non auditores legis iusti sunt apud Deum] quo nomine Paulus omnes legem cognoscentes intelligit, sed factores legis iustificabuntur] manifestum est, quia non in his, quæ intellectum condecorant, sed in his quæ voluntatem emendant, & opus exornant, nostra est virtus, atque iustitia. In quam sententiã grauius Augustinus ait: Neque enim perfectio in legem est notitia constituta, cum sit scriptum. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Neque enim, inquã, is religiosus, & sanctus est, qui nouit legem celsatibus factis, cum expedit facere magis, quam docere. Quia molestum est docere, & non facere.] Sanè valde molestū iis, qui ardua, & difficilia perdiscunt: qui exemplo magis volūt moueri, quã verbo, & impossibilia putant, quæ opus nõ ostenderit, & solus ieiunus sermo docuerit. Hæc ergo dona, quæ aut intellectū honestat, aut hominibus nos mirabiles faciūt, cum voluntatem ipsam vtiq; sanctitatis domiciliū nõ attingat, haudquaquam possunt sibi perfectionis nomē vlturpare, aut sanctitatis appellationē assumere, quæ sola honorabilis est: doctrina verò, aut potestas edēdi miracula, sine vera virtute, contēptibilibus. Est namque verissima doctrina Gregorij, illā exponentis quorūdam prophetarum laudationem, quam supra retulimus. Nonne in nomine tuo prophetauimus,] quod in hominibus charitatis humilitas, nõ autem debeat virtutū signa venerari. Atque statim subdit. Probatio quidē sanctitatis non est signa facere, sed vnumquemque, vt se diligere, de Deo autem vera cognoscere, de proximo verò meliora quã de semetipso sentire. Nam quia vera virtus in amore est, non autē in ostensione miraculi, veritas demonstrat, quæ ait. In hoc cognoscent omnes, quia mei Discipuli estis, dilectionem habueritis ad inuicem.] Qui enim non ait: in hoc cognosceatur, quia mei discipuli estis, si signa feceritis, sed ait, si dilectionē habueritis ad inuicem, aperte indicat, quia viros Dei famulos, nõ miracula, sed sola charitas probat.] Ex his verbis hoc clarissimè elicimus, aut doctrinam, aut signa ex vera virtute, ac impolluta charitate, honorem, & venerationem accipere, & sine illa nõ tã honorem quã dedecus, & confusionem habere, quia dedecorum valde ac ignominiosum est, his præclaris donis à benignissimo Domino imbui, & turpi vita, ac prauis morib' tã eximio beneficio respondere. His ergo euidenter ostenditur, perfectionē spiritualis vitæ, nõ à gratiis gratis cõcessis, sed ab alio, quod eas vriles & venerabiles fecit, omninò pēdere. Cum enim istæ gratiæ non semper Spiritum sanctū in homine illas habente, sed solum in Ecclesia commorantem

X

ostendant,

Chryst. hō.
2. 1. in
Matt.

1. Cor. 12.

D. Tho. in
1. Cor. 12.
lect. 2.

Lucæ 12.

Rom. 2.

Aug. ser.
3. de ver-
bis Domi-
ni.

Greg. lib.
20. mor.
cap. 9.

Ioann. 13.

Aug. trac. 32. in Ioh. Ep. D. Th. 1. cor. 12.

ostendant, & non ad vtilitatem signa facientis, aut docentis, aut prophetantis, sed ad vtilitatem Ecclesie principaliter tribuantur (& quidem Augustinus, & Thomas Aquinas vtrumque aiunt) consequens est, vt nequaquam in illis perfectio collocata sit, que Spiritum sanctum, per charitatem hominis perfecti habitatorem facit, & primo, ac precipue habentis emolumentum, ac vtilitatem intendit.

Gre. hom. 29. in EuanG.

Sed si in his gratis, non est perfectio constituta, quonam modo ipsa ad perfectionem pertinent? Ita sane, vt in quibusdam sint sanctitatis, & perfectionis indicia, in quibusdam sint sanctitatis instrumenta, in aliis vero nuda; atque sola ministeria. In sanctis, atque perfectis viris sunt sanctitatis indicia, quos Deus his mirabilibus operibus mundo manifestat, vt eos in magno pretio habeat, & regis regum amicos, & familiares agnoscat. Quod aperte testatur Gregorius, dicens: signa, atque miracula, sanctitatem quidem ostendere, non tamen facere. Sic Deus sanctitatem Apostolorum, Martyrum, & confessorum, & virginum, aut Sanctarum mulierum miraculis, & signis confirmavit, & perfectionem Doctorum, & Pontificum, sermone sapientia, & scientia, & fidei, atque discretionis spiritu, & interpretatione sermonum aperuit, & breuiter, nunc isto nunc illo donorum genere amicorum suorum puritatem manifestaui. Et sicut reges terrarum, amicos suos honoribus, & diuitiis amplificat, & reliquis subditis suis, licet fidelibus, non tamen aequae dilectionis, dignitate proponunt, ita Deus in donis multo profusior, Sanctos & perfectos viros interdum his donis nobilitat, & coram aliis non tam extraordinariae virtutis illustres facit, atque conspicuos. Sed ideo non omnibus Sanctis ista tribuuntur (ait Augustinus) ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona esse, quam in operibus iustitiae, quibus aeterna vita comparatur. O admirabilis sapientia, & bonitas Dei! quae dilectissimos amicos suos, scilicet Sanctos, & perfectos viros semper maioribus bonis, nempe virtutibus implet, non tamen semper minoribus bonis, nimirum his gratis, & donis honorat, vt & ipsis sui amoris verissima signa offerat, & toti mundo notionem verae virtutis, atque perfectionis relinquat.

Aug. libr. 83. 99. 9. 29. 10. 4.

In viris, necdum perfectis, & ad perpetuam felicitatem destinatis sunt haec dona, sanctitatis instrumenta. Nam in hunc finem Deus nonnullos incipientes, nec dum mundo mortuos, dono altissimae contemplationis illustrat, & caelestibus reuelationibus stupefacit, vt eos, aut illius dulcedine ad se trahat, aut admiratione secretorum ad virtutem alliciat. Sic Saulum adhuc spirantem minarum, & caedis in discipulos Domini, Dominus ipse splendore, e caelo delapso, & voce sua, qua eum corripuit, ab infidelitate remouit, & ad notitiam veritatis adduxit. Sic discipulos adhuc minus in virtute perfectos dono signorum faciendorum animauit. Nam & Daemones (inquiunt) subiiciuntur nobis. Haec quidem non fuerunt in istis praesentis sanctitatis indicia. Quam enim tunc sanctitatem habebat Paulus blasphemus, & contumeliosus, & persequens Ecclesiam Dei? Quam insignem sanctitatem tunc habebat discipuli, qui (vt inquit Beda) a Domino amabiliter arguuntur, eo quod in virtutibus a se factis, in firma fide gauderent, & vt Cyprianus insinuat, de patetis miraculis se minus moleste iactarent. Fuerunt autem sanctitatis adiumenta. Nam Paulus, illa insigni reuelatione conuersus, infidelitatem deseruit, fidei, collum mentis submitit, & ex rapacissimo lupo in mansuetissimum a-

A. cor. 9.

Lucas 10.

Bed. 3. in Luc. ad a. 10.

Cypr. ser. de ieiunio Ep. tenat. ante ser.

gnum est repente mutatus. Et discipuli infirmi signis mirabilibus a se editis roborati Christo constantius adhaeserunt, & eius caelestem doctrinam stabilius adamarunt.

At in reprobis, gratia ista gratis datae, nuda sunt ministeria, non in beneficium glorificationis eorum, sed in vtilitatem Ecclesiae, & profectum fidelium ordinata. Sicut enim Dominus Senacheribo vsus est ad punitionem, & eruditionem populi Israelis, ad quam castigationem faciendam, & robur affectum, virisque concessit, & ideo audit. Vae Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea: Postquam vero illum in hoc munere occupauit, a se eum indignatione repulit, & aeternis cruciatibus puniendum tradidit. Nam cum impleuerit Dominus omnia opera sua in monte Sion, & in Hierusalem, visitauit super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius: Ita profus, quibusdam reprobis potestate, aut doctrina, aut virtute faciendi miracula dignatus vitur, vt lapsos corrigat, ignorantes erudiat, fugitiuos trahat, infirmos, atque imbecillos confirmet, expleto vero sapientissimae prouidentiae ministerio, eos ob graua peccata, ob superbia, ob intentionem solius lucri, aut inanis honoris praeposteram, a se abiicit, & aduersario humani generis vitiosos concedit. Solers, & industrius agricola vitibus fulcimenta coniungit, ne plus nimio ad terram depressa, aut putrescant, aut insaniorem fructum ferant, at vindemia facta, racemisque collectis fulcimenta euellit, eaque vel in ignem mittit, vel tamquam ligna contempnibilia deelinquit: Ita Dominus diligens vinea suae, hoc est, praedestinatorum agricola, eos donis quorundam reproborum, id est, sapientia, efficacia verbi, signis, facultatibus, & aliis huiusmodi sustentat, peracta vero vindemia, & suis in debitam perfectionis maturitatem addactis, reprobos, licet sapientes licet loquaces, tamquam putrida ligna proiciet, & quasi nullis vrbibus apta, contemnet. Horum opera non sunt perfectionis propriae signa, sed, aut Christi Saluatoris praecoxia, aut Ecclesiae sanctae subsidia. Vnde egregie Hieronymus: Prophe- tare, & virtutes ficere & daemonia eicere, interdum non eius meriti est, qui operatur, sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum, qui inuocant, & vtilitatem eorum, qui videt, & audiunt, conceditur, vt, licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem sunt tanta miracula. Nam & Saul, & Balaam, & Caiphas prophetauerunt, nescientes quid dicerent, & Pharaon, & Nabuchodonosor somniis futura cognoscunt. Et in actibus Apostolorum filij Sceuae videbantur eicere daemonia: sed & Iudas Apostolus eum animo proditoris, multa signa inter ceteros Apostolos fecisse narratur. Sunt hi similes Gabonitis, quos Iosue Israelitarum Imperator secum re-feruat, vt in vsu vniversae multitudinis ligna caedat, aquaque comportent. Sic enim Dominus verus vti que Ecclesiae Imperator, & dux, aliquos reprobos sustinet, & inter electos suos manere permittit, vt acceptis donis, atque talentis, fidelium multitudinem inuent, & suis verbis occasionem amoris offerat, & sapientia aquam effundant. Quibus tamen haec obsequia nihil proderunt, si vitam non mutent, & Dei iussa & imperata non seruent. Ne ergo putemus nos perfectionem consequutos, si aliqua in nobis, aut sermonis sapientia, aut scientia, aut aliorum, dona viderimus, quia sicut ignis solet ardere, & lucere in spinis: ita haec beneficia diuina solent in malis ac reprobis miranda operari. Non est itaque

Isaia 10.

Ibidem.

C

Hic. 1. in Mat. ad c. 7.

D

L. reg. 10. Num. 23. Iohan. 11. Gen. 4. 1. Dan. 2. Act. 19.

E

Iosue 9.

in his

in his gratis ac donis constituta perfectio, quam illi soli possident, qui Dei amicitiam adepti, ad insignem quamdam mentis puritatem seiplos vincendo, & diuina mandata custodiendo perueniunt.

Perfectionem non esse postam in consiliis Evangelicis.

CAPVT V.

APERTIA vbi inuenitur (scribit sanctus Iob, perfectionis sedem, ac domicilium inquirens) & quis est locus intelligentia? Vera namque sapientia, est perfecta virtutis cognitio efficax,

Iob. 28.

Aug. ser. 61. de ser. poro.

Mat. 19.

1. Cor. 7.

Mat. 19.

Luca 9.

Luc. 13.

Mat. 3.

1. Cor. 6.

Deut. 19.

Aug. lib. 1. de adul. terinis cō. iug. c. 14.

Psal. 75. Eccl. 5.

quæ bonorum operum actionem pariat, & vera intelligentia, sanctitatis notitia, quæ usque ad eius amorem, & conatum assequendi procedat: huius locum in gratis gratis datis, necdum inuenimus, pergamus igitur locum huius pretiosæ margaritæ inuestigare, & an forte in consiliis Evangelicis sit, diligenter inquirere. Consilia autem sunt, (vt ex Augustino colligitur) quæ ad salutem æternam consequendam, licet necessaria non sint, tamen & vtilia, & proficua, ad hanc salutem facilius, & melius parandâ hominibus consuluntur. Quæ in hoc à præceptis inueniuntur distincta, quod illa in nostra libera voluntate sunt posita; hæc astringunt nos aliquid agere, vel ab aliquo cauere, si nolumus à Dei amicitia, & à celestis præmij iure decidere. De illis dicitur: Qui potest capiat: Et, De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do: Et, si vis esse perfectus, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: Et, qui vult venire post me, abneget semetipsum. De istis verò non dicitur, qui potest facere, faciat; sed nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Et, omnis arbor, quæ non facit fructu bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnû Dei possidebunt. Præceptum est via arcta, & angusta, quâ peragentes tandem peruenimus ad patriam: Consilium est compendium viae arctius & angustius, quod breuius & securius ducit ad vitam. Præceptum est vita, Nam considera (inquit) quod proposuerim tibi vitam, & bonum, & è cōtrario mortem, & malum: per vitam & bonum, præceptorû custodiâ, & per mortem & malum, eorum transgressionem intelligens. At consilium, est medicamentum quo conseruamus vitam, in illa promissione signatum (vt Augustinus ait) qua misericors Samarita se postea rediturum, & quod ad curationem vulnerat ab stabulario superrogatum esset, magna assueueratione redditurû promisit. Denique præceptum vniuersis seruandam sub pœnæ interminatione proponitur, consilium omnibus liberè amplectendum sub spe amplioris mercedis ostenditur, ad quod multi se voto, & promissione obligantes, iam sibi ad maius meritum mandatum faciunt, quod ante vorum, & promissionem mandatum non erat, sed famularus indebitus, dicente Domino, Vouete, & reddite: Et rursus alio loco: Multò melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.]

Consilia autem Evangelica multa sunt, quæ hoc loco enumerare non arinet: sed eorum tria sunt præcipua, & ad substantiam status religiosi pertinentia. Alterum est paupertatis, & abdicationis omnium rerum temporalium, quò nudi, & expediti Chri-

stum sequimur. Cuius obseruatione Apostoli Christi complexi de præmio tanti laboris interrogat, dicentes? Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Alterum est castitatis, quo omnia illa carnem domatia, vt ieiunia, vigiliæ, flagra, saccum, & alia similia complectimur. Hæc enim necessaria sunt, vt carnis & cordis puritatem seruemus, & simus ex illis, qui semetiplos castrauerunt propter regnum caelorum. Tertium est obedientiæ, quo propriam voluntatem abnegamus, & nos, & omnia nostra Prælati voluntati subicimus, vt imitemur illum, qui non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem patris sui, qui in caelis est. In his consiliis, & generaliter in omnibus aliis, quæ consilij tantum, & non præcepti nomen habent, non est secundum substantiam constituta perfectio. Nam perfectio finis est spiritualis vitæ, quam omnibus huius vitæ muneribus comparare cōtemdimus, quare à Salvatore nostro tamquam finis, & scopus adolescenti proponitur. Si vis (inquit) esse perfectus, vade, & vende, quæ habes. Ac si dixisset, si non modicitate communis vitæ contentus, ad finem totius legis, scilicet, ad perfectione aspiras, perfectionis impedimenta remoue, diuitias & opes derelinque, quibus solutus scopum non habes, sed perfectæ virtutis comparabis. Consilia verò non sunt finis, sed instrumenta virtutis, quorum adiumento ad finem peruenimus. Neque enim diuitias spernimus, delicias fugimus, voluntatem propriam abnegamus, vt scimus tantum horum bonorum à natura cōcessorû expertes capere, sed ne eorû possessio nos remoretur à melioris boni assequutione. Hoc igitur bonum, cuius gratia minora bona deserimus, & non consilia deserendi illa bona, erit nostre mētis perfectio. Augustinus certè sine vlla hæsitacione fatetur, consiliorum custodiam, non esse finem spiritualis vitæ, sed medium, aut instrumentum, quo assequimur finem. Quæcumque (inquit) mandat Deus, ex quibus vnum est: Non machaberis: & quæcūque non iabêtur, sed speciali consilio monetur, ex quibus vnum est: Bonum est homini mulierem non tangere, tunc rectè sunt, cum referuntur ad Deum, & ad diligendum proximum propter Deum. Et Ioanes Castanus eidem sententiæ subscribens, consilia cū instrumentis alicuius artis confert, quæ non suis ipsorû gratia, sed finis artis causa parantur, Eius verba sūt.

Mat. 19.

Mat. 19.

Ioan. 6.

Mat. 19.

Aug. in encirid. c. 121.

Cassia. col. 1. 67.

D. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 1. c. 3.

Ob hoc quis vtensilia cuiuslibet artis instruere sibi met, ac præparare festinat, nõ vt ea possideat otiosa, nec vt emolumenti illius fructu, qui speratur ex ipsis in nuda instrumentorum possessione constituat: sed vt eorum ministerio peritiã, finemque illius disciplinæ, cuius hæc adiumenta sunt, efficaciter apprehendat. Igitur ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatû, nõ perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia nõ in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem. Cùm ergo nullius disciplinæ perfectio in ipsius artis, aut disciplinæ instrumentis consistat, liquet, quia perfectio spiritualis vitæ, non in consiliis Evangelicis, quæ instrumenta sunt sed in aliquo alio, cuius gratia instrumenta quaruntur, debet esse constituta.

Perfectio enim (vt optimè Thomas Aquinas annotauit) illa est, quæ secundum naturam suam mentem nostram Deo, optimo fini coniungit, cõsilia verò non sunt talis naturæ vt nos Deo iungant, sed vt à vinculis creaturarû, quò ad istam coniunctionem assequendam curramus, expeditant. Cur namque res temporales abiicimus? Nè gressus nostros ad Deum suis implicationibus teneant. Cur illecebras carnis

respuimus?

ia 10.

lon.

1. 1. in ad. c.

eg. 10. m. 23. n. 11. 1. 4. 1. n. 2. or. 19.

109.

respuimus: Ne mentis aciem Deum contuenē ob-
nubilent. Cur voluntates nostras, proterimus. Ne
diuinæ voluntatis in nobis impletionem impediāt.
Cur à vino, & cibis delicatis abstinemus? Vt spiri-
tualē dulcedinē domita carne, sentiamus. Cur iniu-
rias non solum corde (quod debitum est) sed etiam
quoad externam satisfactionē remittimus? Vt Chri-
stum pro inimicis orantem imitemur. Cur elemo-
synas de rebus nobis necessariis indigētibus damus?
Vt supra legem, & obligationem agentes maius sit
nostrum præmium, & cumulatio merces in cælis.
Hi gressus nostri sunt, hi conatus, hi cursus, quibus
in Dei imitationem currimus, quibus in Dei vni-
onem properamus, non ipsa vno, quæ nos perficit, &
in vera virtute consumat. Quare, si his præstitis, nec
dum ad diuinam vniōnem admittimur, incipientes
erimus, aut fortē proficientes, nō tamen annuera-
bimur sanctis atque perfectis. Perfectionis quippe
natura non ab his pendet, quæ ab omnibus præitari
nequeat, cum vniuersi (vt iam diximus) ad perfectio-
nem inuitentur. At consilia, non omnes seruate pos-
sunt, imō si nonnulli ea seruare attentarent, in rem
ineptam, & Deo displicentem, impingerent. Nā reg-
ibus, quibus, ita exigente communi, aut totius Ec-
clesiæ aut reipublicæ bono, dignitati renunciare nō
licet, cautum est opes abijcere, & pauperem, ac rerū
temporalium indigam vitā ducere. Cōiugatis pro-
hibita est continentiæ custodia, cum non possint
sibi mutuo debitum denegare, quod auctor natura
concessit, & actibus debeant vacare coniugij. Iudi-
cibus, ac Dominis, præcipuē supremis, fas non est a-
lieno se iudicio gubernare, cum eorū manus sit sub-
ditos regere, & minoribus imperare. Pauperes nō
possūt facultates, quibus carent, pauperibus eroga-
re, & infirmi atque imbecilles non valēt corpus ie-
iuniis, vigiliis & manuum labore conficere. Aliquo
magno dignitatis splendore fulgentes, haud qua-
quam debent occupare postremos in cōuentu mul-
torum accubitus, & sunt sic alia cōsilia, quæ alij aut
semper, vel sanē certis temporibus custodire nō va-
lent: nullus autem est, quemcumque statum habeat,
quacumque indigentia, aut labore prematur,
quacūque obligatione ligetur, qui sanctus, & perfe-
ctus esse non possit, igitur non est in consiliis collo-
cata perfectio.

Sed quod generaliter de omnibus consiliis astru-
imus, nunc sigillatim de tribus illis præcipuis cōsi-
liis, paupertate, castitate, & obedientia comple-
ctenda ad maiorem lucem pusillis conferendam a-
struamus. Perfectio non est in voluntaria pauper-
tate, quoniam hæc vincula abijcit, quibus cōpediti
tenebatur, nō tamē eo ipso quod soluti sumus, vel
ē cæcere exiimus, in finē, cuius gratia vincula ru-
pimus, iam opere, & affectu peruenimus. Sicut enim
aliud est, captiuum, compedes & catenas fregisse:
aliud verō, in patriam ac domum repedasse: ita aliud
est nos rebus abrenuntiasse terrenis, & aliud Christi
imitationem induisse, & ad finem vsque spiritualis
vitæ processisse. Sine quo nemo iure vocatur perfe-
ctus. Certē Abrahæ dictū fuit à Domino: Ambula
coram me, & esto perfectus, qui perfectionem, ad
quam inuitabatur, est assequutus, coram Deo ambu-
lando, hoc est, eum perfecte amando, vt Thomas in-
terpretatur, & diuinæ voluntati se subiiciendo, licet
numquam diuitias abiecerit, nec opulentissimā fa-
miliā deseruerit. Et similiter alij scriptæ legis patres
sanctissimi, operibus, & rebus terrenis onusti, ita po-
tuerunt currere, o magna fortitudo, vt ad citiū per-
fectionis ascenderint. Quod non repugnare Eua-
gelicæ puritati, exempla sanctissimorum Episcopo-

Genes. 17.
D. Tho.
opus 18.
c. 7.

rum, atque Pontificum, Leonis, Gregorij, Ambrosij,
Hilarij, Paulini, Hidelsoni, & aliorum innumerabi-
lium satis ostendunt, qui reditus amplissimos Ecclē-
siæ possidentes potuerunt, nō solum (vt Prosper ait)
statum perfectionis tenere, sed etiam vitam perfe-
ctissimam, & sanctissimam conseruare. Et profectō
si perfectio in voluntaria paupertate consisteret, nō
esset cur Dominus à suis amplius requireret. Quid
enim aliud ab homine pusillo, & imbecillo peti po-
test, nisi vt ad fastigiū sanctitatis ascendat? At Chri-
stus Saluator nolter nequaquam in postulatione
paupertatis ac nuditatis rerum substicit, sed aliquid
amplius, & illud omnino maius, & difficilius postu-
lauit. Si vis (inquit) perfectus esse, vende quæ habes,
& sequere me. Hoc verbo ostendens non in dimis-
sione temporalium, sed in sequela Christi perfectio-
nis substantiam inueniri. Quem locum vberimē
tractans Augustinus, ita hanc verissimam doctri-
nam confirmat. Iam venditis omnibus, & distribu-
tis pauperibus, nōne perfectus sum? Quid opus est,
vt te sequar? Sequere me, vt discas, quoniam micis
sum, & humilis corde. Potest enim quisque vende-
re omnia sua, & dare pauperibus, nondum mitis,
nondum humilis corde: Certe potest. Si enim omnia
mea distribuero pauperibus, & adhuc audi. Nam
quidam relictis omnibus, quæ habuerunt, iam se-
quuti sunt Dominum, sed nō ad perfectum sequuti,
ad perfectum enim sequi, est imitari. Et idem con-
firmat Sanctus Hieronymus, in hunc ferē modum
scribens. Quicumque perfectus esse voluerit, debet
vendere, quæ habet, & non ex parte vendere, sicut
Ananias fecit, & Sapphira, sed totum vendere, &
cum vendiderit dare omnia pauperibus, & sic sibi
preparare thesaurum in regno celorum. Et hoc ad
perfectionem non sufficit, nisi post cōtemptras diui-
tias, Saluatorem sequatur, id est, relictis malis faciat
bona. Facilius enim laeculus cōtempnitur, quàm vo-
luptas. Multi diuitias relinquentes, Dominum non
sequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imita-
tor est eius, & per vestigia illius graditur. alio loco
ait: Centuplum, & vitam eternam non esse Apo-
stolis promissa, quia omnia reliquerunt. Hoc enim,
& Crates fecit philosophus, & multi alij diuitias
contemplerunt, sed quia Christum sequi non
voluerunt, quod opus Apostolicum est, opus re vera absolu-
tum, atque perfectum. Paupertas ergo, & dimis-
sio temporalium ad perfectionem non sufficit, quæ
sola à corde nostro, licet cupiditatem euellat, mul-
ta alia mala non abijcit, & ideo secundum Pauli sen-
tentiam, sine charitate à nihilo nequaquam nos
extrahit, hoc est, nequaquam à vilitate peccato-
rum educit. Si distribuero (inquit) omnes facultates
meas in cibos pauperum, charitatem autem non
habuero, nihil sum, & nihil mihi prodest. Quid
est, nihil sum, nisi, quod sola renunciatio diuitia-
rum me Deo non reddit amabilem, neque pretio-
sum, quippe quæ secum grauis peccati maculam
potest admittere? Quid est, nihil mihi prodest, ni-
si quod sola facultatum vacuitas, me vitis, & pra-
uis affectibus vacuum non reddet, atque ad eō per-
fectum, & sanctum non efficiet? Vnde egregie
Cassianus, hanc Pauli sententiam in hunc modum
interpretatur, ac si aliis verbis dixisset. Si distribu-
ero in cibos pauperum omnes facultates meas, se-
cundum Euangelicum illud mandatum, quo di-
citur. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ
habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in
cælo, & veni, sequere me. Ita scilicet abrenunciatis,
vt ex his nihil penitus mihi referre, & huius ero-
gationi martyrium exultione mæ carnis adiuxero,

Prosper.
de vinct.
tom. 9.

Mat. 19.

Aug. l. 50.
heremitar.
tom. 34.
c. 8.

Hier. l. 3.
in Mat.
ad c. 19.

Hier. 3. in
Mat. ad
c. 19.

1. Cor. 13.

Cassian.
col. 3. c. 7.

Mat. 19



ita ut corpus meum tradam pro Christo, & tamen vel impatiens, vel iracundus, vel invidus, vel superbus sum, vel aliorum inflammamini iniuriis, vel queram, quae mea sunt, vel ea, quae mala sunt cogite, vel uniuersa quae mihi possunt inferri, non patienter libenterque sustineam, nihil mihi proderit exterioris hominis abrenunciatio, atque combustio, interiore adhuc vitii pristinis inuoluto, eo quod simplicem substantiam mundi huius primae conuersionis feruore contemnes, quae nec bona esset, nec mala, sed media definitur, vitiosi cordis noxias facultates similiter abicere non curarim.] Cõstat ergo, paupertatis amplectendae consilium, perfectionem non esse, quae via est, nõ finis, & terminus, quae licet in quibusdam desit, qui ratione status ualedicere rebus mundi non valent, non tamen ideo perfectio illis desit, quae non propter se ipsam à Christo, sed propter sui sequelam expetitur, quae nihil est, & nihil prodest, si cum abiectioe ditiarum, non etiam cordis impuritas abiciatur.

Nec etiã in castitate, aut in uirginitate purissima, est posita perfectionis substantia. Nam ista (ut Sanctus Thomas ait) ideo consilium, & laudabilis existimatur, quia propter contemplationem ueritatis, & unionem cum Deo, à iustis suscipitur, secundum illud Pauli: Mulier inuupta, & uirgo, cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta, & corpore, & spiritu.] Magis igitur coniunctio, & imitatio Dei, quae finis est quam castitas, aut uirginitas, quae est medium, exit nostrae mentis perfectio. Ad hoc enim carnis uoluptates, licet moderatas, respicimus, nõ ut uoluptatis tantum expertes simus, sed ut amore coniugis uacui, Deum purius, & ardentius diligamus. Ad hoc carnis integritatem colimus, ne mens nostra illecebris obtusior facta, aut faditate corporis illigata, à Dei splendida cognitione, & castissimo amore, se sentiat impeditam. Vnde istum amorem potius, ut perfectionem inquirimus, & corporis ac mentis integritatem, non ut finem, quo perfecti sumus, sed ut instrumentum, ac uiam ad culmen perfectionis tendentem, uotis omnibus exoptamus. Et sanè si castitas esset mentis nostrae tota perfectio, ipsa sola ad placendum Deo, & eius benignum aspectum promerendum abudè sufficeret. Non tamen ita est. Nam sola, aliisque uirtutibus desinita, nihili à Domino reputatur.

Quare Bernardus audeat, & dicat: Nec Mariae uirginitate sine humilitate esse comedabile. Potest (inquit) placere humilitas, quae uirginitatem deplorat amissam: sine humilitate (audeo dicere) nec uirginitas Mariae placuisset. Super quæ (inquit) requiescit Spiritus meus, nisi super humilem, & quietum? Super humilem dixit, non super uirginem.] Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus Sanctus non requiescisset. Et statim. Patet itaque quia ut de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet: Respexit humilitatem ancillae suae Deus, potius quam uirginitatem. Et si placuit ex uirginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde cõstat, quia etiam, ut placeret uirginitas, humilitas proculdubio fecit. Quid dicis uirgo superbe? Maria se uirginè oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem blãdiris tibi de uirginitate? Et iterum alio loco ait. Nam uirginitas sine humilitate, fortasse habet gloriam, sed nõ apud Deum. Humilia semper excelsus respicit, qui alta à longè cognoscit, & humilibus dat gratiam, qui superbis resistit. Et alio loco. Castitatem, ut alicuius pretij sit, eam charitate coniungit. Verum quantalibet (inquit) uenustate sui castitas eminere appareat, sine charitate tamen, nec pretium habet, nec meritum. Nec mirum. Quod enim absque illa bonum suscipitur? Fides: sed nec si montes transferat. Scien-

tia? Sed ne illa quidem quae lingua loquitur Angelorum. Martyrii? Nec si tradidero (inquit) corpus meum ita ut ardeat. Nec absque illa quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quamlibet exiguum respicitur. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo, subtrahere oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non placet. Sed õ quàm pulchra est (ut sapiens clamat) casta generatio cum charitate! Cum illa, inquam, charitate, quam describit Apostolus; de corde puro; conscientia bona, & fide non ficta. Si ergo aliquis potest esse uirgo, & superbus, aut charitatem non habens: & nullus potest esse perfectus, qui sit superbus, aut charitatem non habens, qui arrogãtia tumeat, aut proximum odio habeat, aut alio graui uicio tabescat, manifestum est, quia uirginitas non est secundum naturam ipsa perfectio.

Quod si in hac non consistit perfectionis substantia, quae uirtus est perfectissima, & planè Angelica & deo gratissima, multò minus profectò in corporis afflictione consistit, quae castitatis gratia suscipitur. Afflictio enim corporis, quae ieiuniis, uigiliis, ciliciis, & flagellis, & aliis piis exercitationibus fit, eatenus uilis est, quatenus castitati seruit, & ad satisfactionem pro peccatis, ad Christi imitationem, & uño nomine, ad ueram charitatem dirigitur. Vnde cuiusdam interroganti, quid prodest tanta in nostro uictu parcitas, in habitu uilitas, in uigiliis, & disciplinis iugis austeritas, Optime Richardus Victorinus respondet. Paucis accipe, quaedam sunt charitatis obsequia placentia, & placantia, si in charitate fiant, at sine charitate nihil profunt. Hæc est enim uirtus, in qua, nec minimum opus respicitur, sine qua nec maximum acceptatur. Non prædicatio, etiam si fiat linguis Angelorum, non fides, etiam si monte transferat, non elemosyna, etiam si omnes facultates in cibos pauperum distribuatur, non corporis afflictio, etiam si tradatur corpus ita ut ardeat, non missarum solemnia, quia ante fratris reconciliationem, minus prohibetur offerri. Ista itaque corporis afflictio, quae charitati seruit, non est uictima nostra perfectio, sed magis erit ipsa charitas, cui & corporalis castigatio, & ipsa castitas, & omnia alia, quae diximus, fideliter obsecundant. Ex quo illorum intolerabilis error cognoscitur, qui ieiuniis confecti, uigiliis afflicti, flagris lucidi, ciliciis puncti, & summa rerum omnium indigentia pressi, in hoc suam perfectionem sitam esse putant, & superbi, atque elati alios mitiorem uitam agentes iudicant, & tamquam carnales, & imperfectos contemnunt. Audiant isti Bernardum, eos huius erroris increpantem. Tu ergo (inquit) cum de horum obseruatione elatus, aliis eadem non obseruantibus derogas, nõne te magis transgressorem regulæ indicas, cuius licet minima quaedam tenens, meliora deuitas? De quibus Paulus: Amulamini (ait) charismata meliora. Detrahendo quippe fratribus, in quo temetipsum extollis, perdis humilitatem, in quo alios deprimis, charitatem, quae sunt proculdubio charismata meliora. Tu, si tuum corpus multis, & nimis laboribus atteris, ac regularibus asperitatibus mortificas membra tua, quae sunt super terram, bene facis, sed quid si ille, quem similiter non laborantem diiudicas, modicum quidem habeat de hac, quae ad modicum est uilis, corporali uidelicet exercitatione, amplius autem, quàm tu de illa, quae ad omnia ualet, id est, pietate? Quis quæso uestrum regulam melius tenet? An non melius, qui melior? Quis uerò melior, humilior, an fatigatior? An non is, qui à Domino didicit mitis esse, & humilis corde, qui & cù Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab eo?

ibidem.

Sapient. 4.

1. Tim. 1.

Richard. li. de gradib. char. c. 3.

Bern. in Apolo. ad Gulliel. ante finem.

1. Cor. 12.

p. 2. uinc. 9.

1. 19.

1. 50. uinc. 54.

1. 1. Mart. 19.

1. 3. ad.

1. 13.

1. 7.

1. 9.

D. Tho. 7. 2. q. 152. art. 2.

1. Cor. 7.

Bern. ser. 2. sup. Miss. 17.

1. 1. 66.

1. 1. 1.

Bern. ser. de beata uirgine.

Bern. epist. 42.

1. Cor. 13.

Satis igitur patet corporales asperitates ad modicū viles, & non sui ipsarum, sed alterius gratia susceptas, vias tantum ad perfectam virtutem esse, quas debemus ad satisfactionem peccatorum, & ad alios honestos fines, magno mentis feruore complecti, non tamen propter illas imprudenter inflari, aut arroganter superbire. Certi (vt Prosper ait) quod latius miserū sit, aliquos de cibi, vel potus perceptione damnare, aut nobis arrogare per abstinentiam, sanctitatem.

Prosper lib. de vita cōtemp. c. 19.

Nec tandem perfectio est, quantum ad naturam suam, in promptissima obedientia, licet hanc, vt perfectam, & decoram diligat filiam, & numquam e suo latere separari permittat. Non, inquam, perfectio in obedientia consistit, quoniam hæc filia est humilitatis, & pedissequa charitatis: perfectio verò non filia est, sed mater, non pedissequa, sed domina obedientiæ ipsius, vniuersarumque virtutum. Propter hanc, tamquam propter finem omnes alias virtutes amplectimur: propter hanc, earum actibus, siue in præcepto sint, siue in consilio, diligenter insistimus: hanc obediendo querimus, & propriam voluntatem Prælato subiiciendo, consecramur. Hanc Christus saluator noster, nõ vt perfectionem ipsam, sed vt præstantissimam perfectionis viam à nobis exigit, dicens: si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam, nõ potest meus esse discipulus.] In hac videlicet sanctissima disciplina mentis perfectionem ponens, in dimissione aut. m. omnium, & in odio sancto animæ, id est, propriæ voluntatis, media, siue itinera perfectionis constituit. Obedientiæ ergo suum principatum relinquamus, & eã altissimam viam perfectionis voemus, & verè altissima via est, siquidem, & temporalia deferendo, & voluptates carnis fugiendo, & quodlibet aliud bonum præstando, semper obedientiã exercemus, obedientiam custodimus) non tamen eã perfectionem putemus. Sicut enim præcursor Ioannes suum locum dilexit, & veritatè amans Melsia titulum prudenter detrectauit, & confessus est, & nõ negauit: & cõfessus est, quia non sum ego Christus.] Ita sancta obedientia, quæ humilis, & modesta est, nequaquam sibi nomen perfectionis usurpat, sed se vocem perfectionis esse libentissimè confitetur, quæ vehementer clamat, & aures Domini importunè pulsat, vt in nos sanctitatem emittat.

Lucæ 14.

Ioann. 1.

Quid igitur sunt ista consilia, si cum perfectione conferantur? Sunt quidem in nondum perfectis validissima perfectionis instrumenta, in perfectis verò inseparabiles perfectionis effectus. In illis sunt instrumenta validissima, quibus structuram sanctitatis extruant, quoniam omnia sanctitatis impedimeta concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorū, & superbiam vitæ: à cordibus nostris abscondūt. Numquam religiosus ista prætermittat, ista contemnat, sine quorum auxilio non solum ad perfectionem non veniet, verum etiam, neque animæ salutem consequetur. Nam hæc, quæ in sæculo libera erant, per professionem religiosam necessaria facta, cum non sui iuris, sed vincitum, obligatumque relinquunt. Qui autem in re graui obligationem frangit, & promissionem Deo factam non implet, tamquam seruus infidelis, & Domini mandata transgrediens, reus Gehennæ constituitur. In istis verò, scilicet in perfectis, sunt ista consilia perfectionis effectus. Nam perfectio religiosa ea magna diligentia seruat, sine quibus stare non poterit, at non poterit seipsam ab interitu eripere, si illa frangat, quæ Deo sponte in odorem holocausti promissit. Et, cum ipsa sit vni-

A uersarum virtutum effectrix, non dubium, quin illas etiam efficiat, quæ aliarum sunt origines, atque principia. Paupertas verò, castitas, & obedientia, velut semina sunt aliarum moralium virtutum, quæ cor humanum à vinculis expeditentes, & à facibus terræ mundantes, feracem bonorum operum faciunt, & virtutibus (quæ bonis operibus generantur) non longis itineribus, sed breui compendio circundant. Perfectio est, quæ Deo impensè placere cupiens, has tres virtutes immenso amore complectitur, quibus homo, & Deo maximè placet, & Sanctos sequitur, & Christum imitatur, & in dies maiorem gratiam, & ampliora dona promeretur. Quicumque ergo putat se beneficio Dei, in religioso itatu, aliqui perfectæ virtutis assequutum, his gemmis pretiosis, quibus perfectionem parauit, eisdem & seruare, & promouere contendat: certus, quia quò pauperior, quò castior, & quò obedientior fuerit, eò erit sanctior, atque perfectior, & quò paupertatem abiecerit, castitatem fradauerit, & obedientiam spreuerit, eò statum religiosum inficiet, veram virtutem ablegabit, & sanctitatem ac perfectionem amittet. Si perfectus est, perfectum cor habeat, quod sanè immunditias sæculi, harum trium virtutum ministerio abstergit, & se totum ad superna consideranda, & desideranda sustollit. Sancti enim, (vt Gregorius ait) qui ad æterna cor eleuant, quàm breue sit, quod sine clauditur, pensant, & eò eorum sensibus vilescit, quod præterit, quò intellectu radiante interlucet, quò acceptum, numquam recedit. Cùmque infinitatem perennitatis aspiciunt, nequaquam iam pro magno desiderant, quod finis angustat, sed subleuata mens extra temporum terminos ducitur, etiam cum carne in tempore tenetur, & tantò altius finienda despiciat, quantò verius infinita cognoscit.] Ista sunt perfecti cordis desideria, isti sunt Sanctorum virorum affectus, bona temporalia in seipsis presententia contemnerent, delicias carnis fetentes pessundare, propriam voluntatem conculcare, & in ea superna se totis votis extendere, quorum substantia numquam perit, quorum flos numquam excidit, & quorum executio, non est Domini voluntati contraria. Qui ergo perfectus est hæc faciat, & velut signa certissima suæ perfectionis ostendat.

Greg. 8. moral. 1. 8.

D

Perfectionem non esse constitutam in præceptis decalogi.

CAPVT VI.

E

REFLECTIONIS sapientiam, & sanctitatis intelligentiam in consiliis sancti Evangelij quaesiuimus: quaesiuimus, nec dum inuenimus: Iam in præceptis decalogi margaritam pretiosam & super omnes thesauros amabilem, inquiramus. Mulier illa sollicita, quæ decem drachmarum, quas possidebat vnã perdidit, lucernam accendit, noctis tenebras depellentem, & vniuersam domum, ac omnes eius recessus euerit, & diligenter quaerit donec amissam drachmam inueniret. Quæ recuperata, conuocatis amicis, & vicinis gaudens, & exultans ab eis congratulationem postulauit, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram] ita & anima, cuius hæc mulier imago est, margaritam perfectionis quaerens, & nec dum inueniens, fidei, ac diuini luminis lucernam præce, & oratione accendat, totam domum magni patris familias euer-

Lucæ 15.

rat, nullum locum inexploratum relinquat, si forte tanto bono reperto, & in suam possessionem translato, ab amicis, & vicinis, nimirum ab Angelis, & Sanctis congratulationem exquirat. Locus autem non explorandus, sublimis valde est, & pretiosus, scilicet præceptorum decalogi observatio; & non esset mirabile in tā ditissima domus spiritualis parte hanc margaritam reperire. Nam (vt egregie scripsit Leo Papa) Artifex misericordia Dei, splendidissimū in mandatis suis condidit speculam, in quo hominiam suę mentis inspiceret, & quā conformis imaginem Dei, aut quā dissimilis esset, agnosceret. **Q**uid verò præclarior quidve perfectioni coniunctius illa re, in cuius assequutione Dei perfectissima imago, ac similitudo resplendet? Si enim perfectio in quadam Dei expressione consistit, non longè à perfectione abest, qui mandata seruat, quorum custodia similis Deo, & propinquus efficitur.

Ita est: sed vt locum istum diligenter euoluamus, & rem seitu necessariam, ad amissum explicemus, nosse oportet, decalogum, nihil aliud esse quam decem præceptorum diuinę legis summā, atque compendium, quo præcepta virtutum Theologicarum fidei, spei, & charitatis, tanquam priora, & maiora supponuntur, non tamen in rigore continentur. Decem ista præcepta Gregorius Nazianzenus elegantissimis his versibus explicauit.

Has patris æterni bis quinas dextera leges

Insculpsit saxo: seu vero inscribit cordi.

Nullum aliud tibi nomen est, nec quem mihi debes

Cultum, diuinumque alij præcipis honorem.

Næ statuas vngquam, simulachrique mortua fingas:

Næve tui Domini lingua tere nomen inani.

Sabbata legitima tibi sunt seruanda quiete:

Tam que cæta vmbri, quam que sublimia sensu.

Felix si merito cultu venerare parentes.

Næ quonquam occidas. Alieni fœdera lecti

Næ violes. Nec te constingas crimine furii.

Næve aliquem testis mendacibus opprime verbis.

Næ cupidis oculis aliorum commoda lima:

Hinc etenim obscura querantur pabula morti.

In quibus, nihil credendum, nihil sperandum, nihil diligendum, aut exprimitur, aut nobis proponitur. Quod in rudioribus, tamquā primum decalogi mandatum illud offerimus: Diliges Deum super omnia creata | **i**deo factum est, quia Dominus hoc appellauit omnium mandatorum, que lege diuina continentur, maximum, primumque mandatum; & quia hominibus in fide educatis, ac enutritis, & nihil aliud impensius curantibus, quā autam fidem retinere, & sectas superstitiosas vitare, nihil attinebat idololatriam, & falsum numinum cultum prohibere, quem ipsi, & infamem habent, & summo conatu detestantur; & quia in dilectione Dei satis ipsius Dei cultus præcipitur, (quis enim Deum non colat, quem vnice diligit) & idolorum cultus, omnisque hæresis, atque superstitio prohibetur. At primum Domini, mandatum in decalogo hominibus promulgatum, non charitatis, sed religionis fuit. Sic enim habet: Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculpsile, neque omnem similitudinem quæ est in caelo desuper, & in terra deorsum, neque eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. | Et statim sequuntur alia præcepta; Quæ omnia

Thomas Aquinas vocat præcepta iustitię, & meritò, quia nihil in decem præceptis iustum est, quod non ad iustitię virtutem, ad aliquāve eius partem, vt ad religionem, & ad pietatem pertineat. Fides autem, spes, & charitas iustitię virtutem superant, ab ea tanquam aliqui excellentiss, & supra hominis na-

turam positum secernuntur, neque sub iustitia continentur. Magna verò prouidentia Dominus, virtutum Theologicarum leges, atque præcepta à decem decalogi præceptis sciunxit, & tamquam prima legis principia primò supposuit, & deinde in posterū promulganda seruauit, vt homines horum trium præceptorum, tum vim, tum præstantiam intelligerent. Supposuit primò ea, non tam præcipiendo, quā denunciando patefaciens; præceptum quidem fidei illis verbis. Ego sum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis, | præceptum verò spei, & maximum charitatis mandatum, illis, quæ post pauca sequuntur. Ego sum dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem

patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia, his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. | Hac simplici denunciatione ostendens magnam esse horum mandatorum vim, quam omnes creaturæ clamant, omnis natura promulgat. Quis enim ipsa natura ductus primis principiis non assentiat? Quis non videat summam veritati credendum esse, in summa prouidentia, ac largitate sperandum; summamque bonitatem diligendam esse, & omni conatu mentis amandam? Postea verò manifeste, & iubendo promulgauit in veteri sanè scriptura, dicens. Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & spera in illum. | Et statim. Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. | Et multò antea in Deuteronomio. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. In noua verò Scriptura sapissimè. Nam de fide, hæc habemus. Creditis in Deum, & in me credite. | Et, Ite, docete omnes gentes, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. | At de spe admonet nos Paulus, vt expectemus beatam spem, & aduentum magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. | Et Dominus, vt petamus, & accipimus, & quæramus primum regnum Dei, & iustitiam eius. | De charitate verò, quoniam interrogatus Dominus de maximo, & primo mandato, respondit, mandatum hoc esse. Diliges Dominum Deum tuum, cui simile est; diliges proximum tuum, sicut teipsum. | Hoc ideo, vt intelligamus, madata ista à cæteris præceptis seposita, finem esse, & scopum, in cuius perfectionem alia mandata seruando cõscendimus, & laborem obseruationis reliquorum præceptorum dirigimus.

Nunc dicimus, & sine vlla trepidatione dicimus, perfectionem in obseruatione præceptorū decalogi, aut quorumlibet aliorum præceptorum moralium, nequaquam esse constitutam, imò neque in fide, etiam si tā firma sit, vt montes transferat, neque in spe, licet tam sit stabilis, vt sine vlla hesitatione, magna illa præmia nobis promissa, suo tempore, à remuneratore Deo, & speranti, & aliis iustis danda confidat. Solum mandatum charitatis, excipimus, de quo nihil in præsentiarū affirmamus. Dominus certe Iesus Christus, huius, quod astruimus testis est locuples, qui adolescenti viam æternæ vitæ interroganti, respondit: Viam esse, madata seruare, ea scilicet, quæ eidem iterum percontanti proposuit. Non homicidiū facies, Non adulterabis, Non facies fur-tum, Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum tuum sicut teipsum. | Adolescenti autem intrepide affirmanti, se omnia hæc à iuuentute seruasse, & iterum interroganti, quid sibi ad præmium cęlesti affe-

Exod. 20.

Exod. 20.

Eccl. 2.

Deus 6.

Ier. 14.

Mar. vi.

Ad Titum

2.

Matth. 6.

Cap. 7.

Matt. 22.

Matt. 19.

Leo. ser. 21. quas drages.

Greg. Nazian. m. 106.

Exod. 20.

D. Tho. 2. 2. q. 122. art. 1.

quendum deesset, Dominus ipse, ait: Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, & veni sequere me.] Quasi diceret, perfectionem in sequela, aut imitatione sui, cuius gratia omnia vendenda sunt, non verò in custodia præceptorum moralium collocatam esse. Nam si in mandatis consisteret, cum adolescens dicit: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? responderet Dominus: Nihil tibi deest, hæc faciens habebis, non denarium, id est, communem gloriam, sed thesaurum, id est, immensas gloriæ diuitias in celo. Aliquid autem, quod illi deesset adiiciens, & eius impleioni, non vitam æternam tantum, sed immensum gloriæ pondus, aut thesaurum felicitatis promittens; euidenter ostendit, in eo quod deerat, non in eo quod iam adolescens impleuerat, perfectionem Christianæ vitæ, & veram sanctitatem mentis stare. Quare optimè, & subtiliter Thomas Aquinas, tam consilia, quam præcepta moralia instrumentis perfectionis annumerat. Præcepta (inquit) ordinantur ad remouenda ea, quæ sunt charitati contraria, cum quibus scilicet charitas esse non potest: consilia autem ordinantur ad remouenda impedimenta actus charitatis, quæ tamè charitati, non contrariantur, sicut est matrimonium, occupatio negotiorum secularium, & alia huiusmodi.] Confirmatque ex Augustino, & Cassiano, qui aiunt: Omnia hæc charitatis gratia suscipi, nõ ergo in illis, sed in eo, ad quod tendunt, & cuius causa suscipiuntur, debemus perfectionis naturam, & substantiam constituere. Si enim aliud est medium, aliud verò finis, & scopus, quem medijs subsidio, ac ministerio habere contendimus, Alia etiã sunt præcepta decalogi, quæ perfectionis impedimenta remouent, & alia est perfectio spiritualis vitæ, cuius gratia præceptorum custodia, peccata vitamus, & bonis virtutum moralium operibus inhaeremus.

De hac itaque scientia celesti, quia Deo famulamur, perinde ac de alijs humanis disciplinis existimandum est. Hæc namque disciplinæ tribus cõstit, principijs cuique notissimis, quæ statim in ipso scientiæ vestibulo addiscentibus proponuntur; pronunciat, quæ Philosophi cõclusiones vocat, quæ ex principijs, tamquam riuus ex fonte deriuantur, arcanis, quæ non omnes scientiæ vacantes assequuntur, sed illi dumtaxat, qui magno conatu, & attentissima consideratione in scientiæ acquisitionem incumbunt. Ita planè in scientia diuina (quo nomine hoc loco spirituale vitam intelligimus) hæc eadè tria est inuenire. Principia sunt ea mandata quæ ad virtutes Theologicas pertinent. Deo esse credendũ; in Deo spem esse collocandam, Deum, & proximum esse diligendum. Et optimè principijs comparantur, quia initar principiorũ notissima sunt, & per se ipsa ab intellectu assensum extorquent, sine eo quòd aliqua ratione, aut discursu comprobentur. Pronunciata sunt præcepta decalogi, quæ discursu quodam, licet modico, & facili ex principijs deducuntur. Si enim Deus amandus est, vtiq; & colendus, & nomen sanctum eius reuerenter tractandum: Et si proximus est diligendus, vtiq; & non occidendus, & nulla iniuria, aut maledictione afficiendus. Arcanum, est ipsa perfectio, quæ in sanctissima Dei lege, præsertim in mandato dilectionis abscondita est, tamquam thesaurus abditus in agro, quem non omnes ingredientes, sed agrum diligenter effodientes, laboribus, gemitibus, & suspirijs, inueniunt. Vide quã aperte hæc doceat Origenes. Propositis enim mandatis decalogi, hæc subiicit. Et forsitan ista sufficiunt, vt in principium (vt ita dicam) ingrediatur quis, non

autem sufficiunt hæc, vel alia similia istis ad interiora vitæ introducere quemquam. Qui autem præterierit vnum mandatorum istorum, neque in principium vitæ intrauit.] Vocat autè præcepta spiritualis vitæ principia, quia licet ad priora mandata fidei, spei, & dilectionis comparata, media sint, tamen initium præbent, vt homo ingrediatur ad interiora velaminis, & perfectionem assequatur. Quin & Basilius pietatis exercitationem, siue spiritualem vitam, scalæ à Iacob visæ comparat, cuius ima pars terram attingebat, suprema verò in cœlũ vsque protendebatur. Vt sicut in illa scala gradus erat infimus, & gradus medius, gradusque supremus, cœlo vtiq; proximis, ita in spirituali vita gradus infimus est; declina à malo, & non occides, non mæchaberis, non furaberis:] Gradus medius, fac bonum, & diliges proximum tuũ sicut teipsum, & si quis te adegerit ad vnũ milliæ, vade cum illo & alia duo:] Gradus postremus est ipsa perfectio, quam, postquam vitauerimus mala per bona opera (vt ipse beatus pater ait) ac per virtutum actiones consequimur. Quamobrem custodia mandatorum, velut certamen est, in quo hostium exuias accipimus, & mala omnia, id est peccata sternimus. Perfectio autem est, quasi brauium (sic enim eam appellat Chrysostomus) quod pugnao, & vincendo conquirimus. Quod ergo addiscentibus dicimus, qui optimum sui ingenij specimen præbent, vt scilicet vigilent, legant, interrogent, disputent, laborent, quoadusque ad culmen scientiæ perueniant, subtilissima quæque cognoscant, & hiã in sapientia famosi, id ipsum mandata seruantibus inculcandum est, vt scilicet leuia quoque peccata fugiant, seipos vincant, affectus componant, virtutes exerceant, profundæ orationi se tradant, humana contemnant, cœlestia cupiant, diuinæ charitatis se seruos captiuos, & amatores ostendant, vt his quasi scalaribus ad altiorem statum puritatis promoti, tandem euadant sancti, Christo simillimi, ac planè perfecti.

In custodia enim præceptorum decalogi, perfectionem suam iusti, & Deo consecrati homines constituere non debent, quam custodiam (vt communis est Theologorum sensus) non solum sine perfectione, verum etiam sine vita spirituali, hoc est, sine gratia, & charitate, quoad præceptorum substantiam, atque naturam tenere possunt. Nam, & homo aliquo graui crimine infectus, potest, iuuante Deo, debitum ei cultum interdum impendere, non nisi cum tribus comitibus, iustitia, veritate, & iudicio nomen diuinum assumere, & in diebus Deo cõsecratis à seruis, & prohibitis operibus abstinere potest, & charos honorare parentes, nõ occidere, non mæchari, non alienum surripere, nõ falsum in aliquem testimonium dicere, potest, & cor suum ab illicito, aut vxoris, aut rei alienæ desiderio cohibere. In his etenim præceptis opes religionis, aut iustitiæ præcipitur, & iniuria proximi interdicitur, non autem quòd hæc in gratia, & Dei amicitia hiã, aut quòd ex charitate, aut in finem charitatis seruentur, nobis virtute eorum præceptorum iubetur. Quæ ergo perfectio esset, quæ sanctitas, aut mentis puritas, ea solum seruare quæ omnibus in communi seruanda proponuntur, & quæ sine nouo peccato, vtiq; seruare: Eadem autem ratio est fidei, & spei, & aliorum præceptorum, præterquam præcepti charitatis, quo supernaturali, & efficaci amore Deum propter se ipsum amamus, & propter Deum fratrem diligimus. Hoc namque mandatum sine vita spirituali custodire non possumus, reliqua verò moralia, quæ actum alicuius virtutis præcipiunt à charitate distinctæ,

Basili. ad
psal. 1. in
illud: sed
in lege
Domini.

Christos.
18.65. in
Matth.

D. Tho. 1.
2. q. 100.
art. 10.

D. Thom.
2. 2. q. 184
art. 3.

Aug. 1. in
moueri. c.
121.
Cassian. c.
1. c. 7.

Orig. tra.
8. in Mat.

Matth.
19.

sine gratia, & charitate custodimus. Si verò Dominus adolescenti dixit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata; non de præceptis tantum decalogi, sed de omnibus generaliter præceptis edixit. Quorum vnum est charitatis Dei, & proximi mandatum. Quod qui cum omnibus aliis custodierit, absque dubio vitam æternam accipiet. Habemus ergo quorūcumque præceptorum custodiam, si solum intra præcepti metas se contineat, nos quidem poenis æternis eripere, & bonos, ac Dei amicos facere, non tamen perfectos efficere. Perfectio quippe altior res est, quam ut à solis præceptis, aut à solis consiliis pendeat, cum sit finis omnium præceptorum, & vniuersorum consiliorum scopus, propter quam consequendam, tam præceptis, quam consiliis seruandis insistimus. In id enim obseruatione diuinæ legis, & sacrificiorum indebitorū oblatione tendimus, ut præmium æternum adipiscamur, quod omnes prædestinati adipiscunt, perfectione etiam, ac sanctitatem assequuntur. Itaque eorum quidam adhuc in vita mortali, quemdam haustum vitæ æternæ, id est perfectionem inchoatam gustant. Alij autem, qui negligentius viuunt, & tardius currunt, saltem in fine vitæ, & ingressu regni, post purgatorij poenas sustetatas, & omnimodam leuium defectum purgationem acceptam; perfectionem consummatam, & absolutam accipient. Felices, profectò, qui sanctitatem præceptorum, & consiliorum custodia querunt, licet nunquam ad eam in hac vita perueniant, quia saltem in alia vita, quæ verè vita est, non fraudabuntur à desiderio suo: sed longè feliciores, qui in hac mortalitate adhuc positi, perfectionem promerentur, quorum maior est erga Deum fidelitas, erga proximos utilitas, & erga seipsum ascendentium facultas. Intra bunt sanè non in quodcumque gaudium, sed cum sanctis, ac magnis viris, qui seipsum, & omnia terrena vicerunt, in maximum, atque incomprehensibile gaudium Domini sui.

*Perfectionem consistere in charitate
Dei, & proximi.*

CAPVT VII.



Vbi iam inuenimus pulcherrimam perfectionis margaritam, quam in tam pretiosis Christi sponsi thecis inuenire, necdum valuimus? Vbi sponsam charissimam reperimus, in cuius amplexu inseparabili, posita est vera & tota spiritalis vitæ felicitas? Quis ostendet nobis locum sapientia? Quis monstrabit sedem intelligentia? Quis aperiet, vbi pascat, vbi cubet in meridie, ne vagari incipiamus, aut prosequamur post greges tantum sodalium eius, hoc est, post alias virtutum actiones, quæ rescire aliquantulum possunt; ducere nos ad reginam, & sponsam tantis laboribus quaesitam possunt, sed omnino satiare, & inebrietate non possunt. Certè in eo querenda, & inuenienda est, quod & gratia sit, & consilium sit, & præceptum sit, & finis sit, ac scopus omnis gratia, cunctorum consiliorum, ac vniuersorum præceptorum. Hæc est charitas (ò magna res, & pretiosa gemma; ò eximia, atque incredibilis pulchritudo) qua Deum propter semetipsum amamus, & propter ipsum Deum omnes fratres, sine vlla exceptione, diligimus. Charitas, inquam, quæ à gratia nos faciente Deo gratos, nunquam potest separari. Ideo autem sancti doctores in perfectionis definitione, potius charitatis, quàm gratia meminerunt, quoniam gratia solum habet ani-

Ama essentiam perficere, & Dei participem facere, charitas verò potentiam voluntatis exornat, ad operandum bene, ac studiosè, & ita, ut opus meritum sit, opera autem præcipue perfectio requirit, & non ad nudam vitam animæ, sicut gratia donum ordinatur. Charitati competit, quod gratia sit, quoniam eam non sterilis vulua naturæ peperit, sed fecundissimus Spiritus sancti vterus procreauit, dicente Apostolo. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Charitati competit, quod præceptum sit: Quæ omnes obligat, vniuersos altringit, & in nullius, qui saluari velit, libera voluntate relinquitur. Nam hoc est maximum, primūque mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Secundum autè, simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Charitati competit, quod consilium sit: Nam ineffabilis bonitas Dei, quæ optimè nouit figmentum nostrum, ad communem tantum amorem nos adigit, ut felicitè, nihil Deo præponamus, & eius mandata seruemus, eximium autem Sanctorum amorè, quo sæculo renunciant, seipsum omni creaturæ subiciunt, & abiectis etris temporalibus, solum Deum cogitant, cum illo iugiter conuersantur, & illum solum concupiscunt, ut finem, quod perueniendum est, nobis proposuit, & sub consilio relinquit. Charitati denique conuenit, quod finis sit, quoniam peccata vitanda sunt, ne charitatem perdamus, sensus, & affectus cohibendi, ut charitatem tutam, & à tentationibus liberam habeamus; virtutes sectandæ, ut charitatem augeamus; oratio, & contemplatio frequentanda, ut charitatem expleamus; & omnia consilia, & præcepta seruanda, ut ad perfectionem charitatis tandem veniamus. Quod aperte docet Paulus, dicens: Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Charitas ergo, quæ cor ab omni criminis contagione purgat, & conscientiam omnium mandatorum obseruatione purificat, & fidem puram illibatamque conseruat, est omnium bonorum operum, omnium sanctorum laborum scopus, atque adeo ipsa est anima nostra sanctitas, atque perfectio.

D Sed quo pacto persuadebimus, charitatem, animæ perfectionem & sanctitatem esse? Certè nullo negotio, si eandem esse naturam & qualitatem charitatis, & perfectionis astruamus. Perfectio enim alicuius partis ea est profectò, quæ pars suo fini copulatur, quæ cum reliquis partibus aptè coheret, quæ nihil deest, & omnia sibi necessaria habet, & quam cunctis suis actionibus, tamquam quibusdam moribus, assequi concupiscit. Hæc omnia habet charitas ad eò perfectè, ut illi soli in hac vita competant, & nulli alij, aut dono, aut virtuti conueniant. Nam cum quilibet nostrum pars quædam Ecclesiæ sit, charitas est, quæ iungit nos Deo, tamquam omnium rerum fini, charitas est, quæ nos proximis, tamquam partibus copulat, si eam habeamus, omnia possidemus, illamque veluti fructum, & finem omnium operum, & laborum respicimus. In ea igitur omnis nostra perfectio consistit.

E Finis noster in quem tendimus. Deus est, qui dicit de se ipso: Ego sum *αγαπη* & *ἀγάπη* principium, & finis. Charitas autem vnit nos Deo, Nam qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, iungit ergo nos vltimo fini, cui iuncti, & vniti totius sanctitatis fonti, & totius iniquitatis consumptori, quid ni simus sancti, atque perfecti? Audi Bernardum aperte proclamantem, iustorum animas Deo, non alio quàm charitate coniungi. Iam verò (inquit)

animæ

Rom. 5.

Matth. 22.

L. Tim. 1.

Apoc. 1.
1. Ioan. 1.

Bernard.
ser. 83. in
Cant.

Ephes. 5.

animæ reditus. conuersio eius ad Verbum reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi, In quo? In charitate. Ait enim: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos.] Talis conformitas maritat animam Verbo, eum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nuplit, quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate? qua fit, vt humano magisterio non contenta per remet, o anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhaereas, Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Vere spiritualis sanctique connubij contractus iste; Patrum dixi contractus, complexus est, complexus planè, vbi idem velle, & nolle idem, vnum faciat spiritum de duobus.] Si charitate anima Deo nubit; si charitate, non iam per alios, sed per seipsam ad Deum accedit; si charitate Deo adheret, si affectuum brachijs ipsum astringit, & Deum (quod in ipso est) numquam separanda complectitur, quid illi deerit, vt ad fastigium virtutis, id est, ad perfectionem ascenderit? De ea quidem secundum tropologiam intelligitur illud Isaia: Glutino bonum est.] Nam optimum est hoc charitatis glutino animam se Deo vnire, quod (si eius naturam, aut vires inspiciamus & à militia prauæ voluntatis disungamus) numquam animam à suo vltimo sine separari permittet. Quid namque hoc tenacius glutino (inquit Bernardus) quod nec aquis eluitur, nec ventis dissoluitur, nec scinditur gladijs? Denique aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Tenui eum, nec dimittam.] Et sanctus Patriarcha: Non te dimittam, nisi benedixeris mihi.] Ita ista non vult eum dimittere, & fortè magis quam Patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem. Si quidem ille benedictione accepta, dimisit eum; hæc autem non sic. Nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te. Quid enim mihi est in celo, & à te quid volui super terram? Cum ergo charitas secundum naturam suam, amicitia quædam sit hominis ad Deum, & vinculum quoddam Dei, & hominis super aliquam communicationem fundatum: & cum Deus sit vltimus finis hominis, manifestum est, quia primam perfectionis qualitatem habet, quæ est, rem perfectam suo fini copulare, & vltimo humanæ vitæ scopo coniungere.

Bernard.

ser. 79. in

Cant.

Gen. 31.

Psal. 72.

I. Cor. 12.

A. 100. 9.

Dion. lib.

6. de diu.

nom. c. 4.

p. 2.

A. 3. 4.

Membra autem capitis nostri Christi, & corporis Ecclesiæ, proximi nostri sunt. Omnes enim vnum corpus sumus in Christo: omnes audimus: Vos estis corpus Christi, & membra de membro.] Qui nos persequeretur, voce Christi percutitur: Saule, Saule quid me persequeris? At charitas est, quæ nos vnit etiam cum his Ecclesiæ membris, & causa est, vt nostrum locum teneamus, nec alienam sedem occupemus. Vt enim Dionysius Areopagita ex amatorijs hymnis Hierothei ait: Amor, siue diuinus, siue angelicus, siue spiritualis, siue animalis, siue naturalis, virtus vnitua est superiora ad inferiorum mouens prouidentia, & equalia ad socialem communionem adgens; Sicut ergo nos vnit Deo, ita etiam proximis copulat, & ad seruandum locum nobis congruum in Ecclesiæ corpore, siue inferiorem, siue superiorem, pro exigentia nostri status, a ut dignitatis, surruerit, & potenter impellit.] A charitate perfectio dimanat, vt multitudinis creditum sit cor vnum, & anima vna.] Ipsa facit, vt cum infirmo, inistimur; cum scandalizato, vramur: de bonis fratris gaudeamus, & de malis, ac miseris tristimur: & alios, quantumuis, aut loco, aut sanguine, aut conditione à nobis distictos, non alienos, aut separatos, sed vnitos, & ad nos

A pertinentes existimemus. Quare, sicut charitas animæ Deo comparata, gluten est, quod eam ipsi Deo mirabiliter agglutinat; ita quoque proximis comparata glutinum est, & præcipuum, quod animam charitate illinitam fratribus copulat, & quasi inseparabiliter iungit. Verissimè Richardus Victorinus, ait: Hoc glutino virum virtutis, non tantum Deo vniti; sed sibi ipsi etiam & proximo. In se (inquit) per amorem vnus efficitur, dum se intra se recolligens, & reductis affectibus cunctis, à locis, quibus captiui tenentur, solum vnum incommutabiliter amat, nec amplius in diuersa mutatur. Paratus enim per amorem in plura, numquam inuenitur vnus, vel idem, sed semper sibi ipsi dissimilis, quia toties variari cogitur, quoties quod amat, variatur. Proximo etiam per charitatem vnus homo, dum non solum sine querela, quantum in ipso est, idem omnibus studet effici, sed & omnium successibus coaptari; Gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, infirmari cum infirmantibus, & cum scandalizatis vri, iuxta quod scriptum est: Socius in tribulatione, & regno.] Anima itaque charitate vacua, est veluti corporis pars ab alijs partibus præcisa, & separata: Quæ licet fides sola, vtcumque vniat, & membrum Ecclesiæ mortuum faciat, tamen (quod atinet ad participationem vitæ) odium, & mala voluntas separat, & ab aliorum membrorum consortio disiungit. Anima verò charitatis, & sanctæ dilectionis plena, est quasi pars in suo loco collocata, alijs partibus iuncta, optime reliquis membris Ecclesiæ coherens, & cum eis vnum viuum Christi corpus, & quod amplius est; vnum cor, & vnum spiritum efficiens. Hanc pretiosam vnitatem Christus à Patre postulat, cum pro suis discipulis oratione completa, hæc verba subiungit. Non pro eis rogo tantum, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnus sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.] Vnitatem petit Dominus, nõ qui dem naturalem, qua omnes adinncem, & cum Deo vna persona efficiamur, quod tamquam repugnans fieri nõ potest, sed vnitatem spiritualem charitatis, qua vnuerfi, idem sentiamus, idem sapiamus, idem intelligamus, & simos in sensu, & voluntate cõcordes. Qua etiam Patri, & Christo, ac Spiritui sancto, sicut vna membra vniamur, & in eo vno Deo nostro maneamus. Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Bene, atque perfecte igitur est animæ ornari charitate, quæ eam viuificat, & principio ac fini suo, scilicet Deo, & reliquis membris, scilicet proximis, congruenter, aptèque coniungit.

Si verò perfectio est, cuius causa rei perfectæ nihil deest, quia omnia bona necessaria secum affert, id ipsum habet charitas, vt scilicet mentem, quam possederit, omnibus bonis amplifcet, atque in eam cuncta dona cælestia, & vnuerfas virtutes inuehat. Sicut enim reginam nobilissimam ancilla, & pedileque comitantur, & aulicorum: ac nobilium turba circumdat, & numquam incomitam, solamque relinquunt: Ita charitatem, qua potentissima regina virtutum est, & verè regina, quæ mentem regit, affectus gubernat, desideria moderatur, actiones dirigit; alia virtutes infuse affectantur, Spiritus sancti dona cingunt, & spiritualia charismata sequuntur. Nulla mens charitatem habitatricem habet, quæ non prudentia fulgeat, iustitia resplendeat, fortitudine gaudeat, & temperantia voluptatibus terrenis emineat. Si enim, qui diligit, legem impleuit, & lex sine omnium virtutum exercitatione impleri nõ potest; manifestum est, quia dilectionis possessor, omnes etiam

Richard. d.
grad. cha.
vit. c. 50.

I. Ioan. 17.

I. Ioan. 4.

Rom. 13.

virtutes,

virtutes possidet, vt preceptis omnibus satisfaciat, & omnem legem, vniuersarum virtutum actus imperantem, adimpleat. Certè ita natura comparatū est, vt principium aliquarum actionum organa habeat, quibus illas actiones perficiat. Quare animæ, quæ fons est operum vitalium, instrumenta cõcessa sunt; visus ad videndum, auditus ad audiendum; olfactus ad olfaciendum, gustus ad gustandū; tactus ad contrectandū; imaginatio ad cogitandū; intellectus ad cognoscendū, voluntas ad amandū, & reliquæ vires huiusmodi, quibus opera vitæ propria facile eliciat. Charitas autem principium est omnium bonorum operū, quorum virtute in Deum finem nostrum dirigimur, illam verò virtutes reliquæ sequi debent, vt ipsarum ministerio, singula virtutū opera suauiter præbet. In quam sententiam rectè dixit Augustinus. Sicut radix omnium malorum est cupiditas; ita & radix omnium bonorum est charitas. Totam magnitudinem, & latitudinem diuinorū eloquiorum possidet charitas, qua Deum, proximumque diligimus. Et quibusdā interpositis apertius. Quapropter, fratres, sectamini charitatem, dulce, ac salubre vinculum mentium, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est. Hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus tēperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate laetissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel per sacrificium grata: In Noë per diluuiū secura, in Abrahamæ peregrinationibus fidelissima; in Moyse inter iniurias lenissima; in Dauid tribulationibus mansuetissima; in tribus pueris blandos ignes innocenter expectat; in Machabeis fauos ignis fortiter tolerat: Casta in Susanna erga virum: in Anna post virum, in Maria præter virum. Et alio loco perspicuè docet, charitatem quatuor virtutes continere, quas sine aliarum lætissimo choro, nullus inueniet.

Aug. ser. 39. de tē. poro.

Aug. ser. 46. de tē. poro Per somn.

Rom. 5.

Gregor. 1. mor. c. 25.

At charitas nō solas virtutes omnes habet comites, sed dona quoque Spiritus sancti menti inseparabiliter tribuit. Quicumque enim veræ charitatis est particeps, in rebus saltem necessariis, & sine quibus æterna salus stare non potest, omnium istorum septem donorum in se sentit actiones. Sapientia quidem, diuina collustrat; intellectu, fidei arcana penetrat; cõsilio, creatoris ductui se subicit; sciētia; agenda, & omittenda perspicit; fortitudine, difficultates aggreditur; pietate, Dominū suum colit; & timore, ineffabilem maiestatem filiāli quodam, ac trepido honore prosequitur. Et cum Spiritus sanctus in nobis per charitatem habitet, (Nam charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,) dona suā, quæ numquam deserit, nec à se auelli permittit, in mentem, quam sui domiciliū fecit, largitur influit, quibus eam mouet, & ab amore rerum labentium, & periturarum abducit. Hoc secundū Gregorium filij Iob se inuicē inuitantes in domo charitatis designabāt, & simul cunctis diebus comedentes portendebant, dona videlicet ista sibi inuicem, & charitati virtutum præcipue esse connexa. Nam si (vt ipse ait) minor est sapientia, si intellectu careat, & inutilis intellectus, si ex sapientia nō subsistat, vile cõsiliū, cui robur fortitudinis deest, & valde fortitudo destituitur, nisi per cõsiliū fulciatur, nulla sciētia, si vtilitatem pietatis non habeat, & inutilis pietas, si sciētiæ discretione careat; & timor quoque nisi has virtutes habuerit, ad nullum opus bonæ actionis surgit. Si hæc, inquam, ita sunt, liquet, quoniam hæc dona, quæ à Deo profecta, perfecta sunt, nunquam à se inuicem, aut à charitate separantur, sine cuius motu nullus eo-

A rum, aut sine aliorum adiumento, debitam sibi perfectionem tenet, & debitum splendorem actionis emittit.

Sed quid mirum, si habenti charitatem omnes virtutes, & omnia dona nō desunt, cui vel ipse Deus (o res admirabilis, & omni stupore digna!) incola, & habitator non deficit? Si quis diligit me (ait) sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quid est, Pater meus diligit eum, nisi ei hoc bonum præstantissimum volet, & misericorditer tribuet, vt adoptione sit filius Dei? Nā quotquot fide viua, & charitate informata receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Et quid est, Ad eum veniemus, Nisi Pater, & ego, & Spiritus sanctus hūc à nobis dilectum gratia donabimus, donis ornabimus, virtutibus cohonestabimus, & semper in eo tamquam in filio mirabilia operabimur: Qui enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei? Vnde Augustinus pulchrè. Veniunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus subueniendo, venimus obediendo, veniunt illuminando, venimus intuendo, veniunt implendo, venimus capiendo. [Et quid est, Mansionem apud eum faciemus?] nisi in eo intimè, & (si ita loqui liceret) præsentialiter habitabimus, non iam per essentia tantum, & conspectum, & potentiam, sicut in cæteris rebus, sed speciali quadā ratione, sicut est Deus in tēplo sancto suo, vbi iugiter adoratur, & colitur; sicut hospes in hospitio suo, quod magno desiderio, & longo itineris ductu quæsiuit: sicut olitor in orto suo, à quo tribulos vitiōrū, & spinas peccatorum euulset, & arbores fructiferas donorum, ac virtutum seuit; sicut magister in schola sua, in qua docet hominem scientiam, non quæ inflat, sed quæ mentem ædificat, sicut sponsus in lecto suo, vbi cum sponsa sibi dilecta, quietissime dormit, & purissime requiescit, & tandem sicut pretiosa gemma in anulo suo, à quo non pulchritudinem accepit, sed decorem & splendorem impertit. Dilectio (inquit sanctus Pater Augustinus) sanctos discernit à mundo, quæ facit vnanimes habitare in domo. In qua domo facit Pater & Filius mansionem, qui donant, & ipsam dilectionem, quibus donent in fine suam manifestationem.

Ioan. 1.

Rom. 8. Aug. ser. 78. in Iob.

C Et multis interpositis, addit: Ne quis porro existimet, Patrem tantummodo, & Filium, sine Spiritu sancto apud dilectores suos facere mansionem, recolat, quod superius de Spiritu sancto dictum est. Quem mundus non potest accipere, quia nō videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce facit in sanctis cum Patre, & Filio, Sanctus etiam Spiritus mansionem. Beatus, apud quem Pater habitat, in quo Filius commoratur, & Spiritus sanctus mansionem facit. Beatus plane, quem Patris potentia sustinet, Filij sapientia docet. Spiritus sancti bonitas ab omni malo, & aduersitate custodit. Beatus, quem Deus sibi in domiciliū, ac sedem elegit, quoniam non iam terrenus, sed verè cælestis est, cum scriptum sit, Quia cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedū meorum. Qui ad hanc dignitatem inhiat, diligit iustitiæ opera, & signa suæ dilectionis exhibeat, quibus seipsum, quietā sedem Christo offert: in qua ipse libentissime sedet, & hilariter requiescit. Quare seire admonet Bernardus: Quis ex vobis est, fratres, qui desiderat in anima sua sedē parare Christo? Ecce quæ nam illi serica, quæ tapetia, quod puluinar oporteat præparari. Iustitia, inquit, & iudicium præparatio sedis tuæ. Iustitia virtus est, quod suum est, vnicuique tribuēs. Tribue ergo tuis, quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod

Aug. tra. 78. in Iob.

D Et multis interpositis, addit: Ne quis porro existimet, Patrem tantummodo, & Filium, sine Spiritu sancto apud dilectores suos facere mansionem, recolat, quod superius de Spiritu sancto dictum est. Quem mundus non potest accipere, quia nō videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ecce facit in sanctis cum Patre, & Filio, Sanctus etiam Spiritus mansionem. Beatus, apud quem Pater habitat, in quo Filius commoratur, & Spiritus sanctus mansionem facit. Beatus plane, quem Patris potentia sustinet, Filij sapientia docet. Spiritus sancti bonitas ab omni malo, & aduersitate custodit. Beatus, quem Deus sibi in domiciliū, ac sedem elegit, quoniam non iam terrenus, sed verè cælestis est, cum scriptum sit, Quia cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedū meorum. Qui ad hanc dignitatem inhiat, diligit iustitiæ opera, & signa suæ dilectionis exhibeat, quibus seipsum, quietā sedem Christo offert: in qua ipse libentissime sedet, & hilariter requiescit. Quare seire admonet Bernardus: Quis ex vobis est, fratres, qui desiderat in anima sua sedē parare Christo? Ecce quæ nam illi serica, quæ tapetia, quod puluinar oporteat præparari. Iustitia, inquit, & iudicium præparatio sedis tuæ. Iustitia virtus est, quod suum est, vnicuique tribuēs. Tribue ergo tuis, quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod

Isa. 66.

Bern. ser. 3. de ad. uentū.

Psal. 8.

E tribue superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes.

debes.

debes, & dignè celebras aduentū Christi, parans ei iniustitia sedem suam. Ista iustitiæ opera, sunt certissima charitatis indicia, quæ Domino sedem parant, & domum ornant, & mundant, vt per charitatem in nos veniat, & tamquam in proprio conclauī commoretur.

Exod. 15.

Iam nihil possumus dicere, quod huius comparatione aliquid sit. Quid enim amplius? Quid maius? Quid nobilius mēs humana excogitare potest, quā ipsū Deum in suam ius ac possessionem vendicare? Quid honorabilius, aut ditius, quā toto ore dicere, & toto corde experiri, quod in Exodo cecinit Moyses, sequente, & respondente vniuerso cætu filiorum Israël. Iste Deus meus, & glorificabo eū; Deus patris mei, & exaltabo eum. Sed tamen si non maius, saltem aliud, & quidem magnum, & excellens dicamus. Charitatem scilicet, non solas virtutes, non sola Spiritus sancti dona, non solum Deū nobis tribuere, vt verè dicamus nihil nobis deesse; sed etiam in nostrum dominium transferre vniuersa bona proximorum (parum est hoc) etiam vniuersa bona Dei. O ingentes opes, o magna diuitiæ, o thesauri incomparabiles, quæ si non Dei possessionem magnitudine vincant, aut æquent, at saltem quæ mirum in modum fulgeant, atque resplendeant! Hoc autem gentes clamant, sacra pagina affirmat. Patres prædicant, ratio persuadet. Gentes clamant, quoniā si gentium prouerbiū est, amicorum omnia communia; qui per charitatem amicus est Dei, amicus est & omnium tam angelorum, quā hominum, huius amicitia causa in omnium bonorum, tam Dei, quā creaturarum (& hæc bona Dei sunt) possessionem, ac participationem admittitur. Sacra pagina affirmat; nā, si non affirmaret, non diceret Paulus: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura; omnia enim vestra sunt, vos autem Christi. Quia, inquam, vos per charitatem Christi estis, tum amici, tum serui, ideo omnia vestra sunt, vestro nimirum iuri, ac possessioni subiecta, vt cum eis omnibus Christo subiiciamini. Patres prædicant: sed prolixum esset satis omnes recētere; vnum, aut alterum in medium adducamus.

1. Cor. 3.

Vnus sit Gregorius, qui de inuidis loquens, sic ait. Quid istis infelicius, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum verò bona, quæ habere non possunt, si diligenter, sua facerent. Sic quippe sunt vniuersi consistentes in fide, sicut multa membra vno continentur in corpore, quæ per officium quidem diuersa sunt, sed eo quod sibi vicissim congruunt, vnum fiunt. Vnde sit, vt pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur; ori auditus aurium seruiat, & ad vsum suum aurbus oris lingua concurrat; suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. In ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione seruemus. Nimis itaque turpe est, non imitari, quod sumus. Nostra sunt nimirum, quia et si imitari non possumus, amamus in aliis, & amantium fiunt, quæ amantur in nobis. Hinc ergo pensent inuidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore. Alter sit Leo Papa in hunc modum scribens. Cū igitur, & omnes simul, & singuli quique fidelium, vnum idēque Dei templum sint, sicut perfectum hoc in vniuersis; ita perfectum debet esse in singulis; quia est non eadem est membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium, meritum potest esse paritas; communionem tamen obtinet decoris, conuexio charitatis. In sancto enim amore confortes,

Leo ser.
10. quæ.
drages.

etiam si non eisdem vtuntur gratiæ beneficiis, gaudent tamen inuicem bonis suis, & non potest ab eis extraneum esse, quod diligunt, quia incremento disteunt proprio, qui profectu lætantur alieno. Tertius sit Rupertus de his agens, qui parum profecerunt, vt in ore duorum & trium testium, sicut omne verbum. Non sunt (inquit) carne virgines, sed bonum virginittatis in te, o Beata Maria, diligendo suum faciunt. Non alia præter te genuit regem Salomonem, regem tam magnum, tam magnificum, sed illa diligendo in te, hoc tam grande priuilegiū, regis eiusdem matres fiunt. Item non sunt martyres, neque sufficient inter fortes præliari, & pro amore regis Salomonis fundere sanguinem suum, sed martyres diligunt, & diligendo illos, gloriam eorum suam faciunt. Amplius dicam. Non sunt dii, sed diligendo Deum, dii, vel filij Dei sunt, sicut scriptum est: Ego dixi Diuinitas, & filij excelsi omnes. Ratio tandem persuadet: Quoniam si ea nostra sunt, quæ nobis tamquam propria famulantur, profectō, si amamus Deum, si diligimus proximis, omnia bona nostra sunt, quæ amantis vtilitati subseruiunt. Quod autem vsui nostro seruiant, audi Paulum dicentem: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Certe, si voluntas non ficta, sed vera, & efficax pro opere reputatur; amor cuiusque virtutis, & cuiusque meriti aliorum, quo videlicet amore illam virtutem, ac meritum in alio diligimus, & nos (si facultas daretur) idem præstare vellemus. quid ni pro ipso facto, aut saltem pro magna eius parte reputetur? Et, si ista est omnis dominij, & possessionis vtilitas, rebus nostris vt, prout nobis fuerit congruentius; quis ambiget omnia amicorum bona esse diligentiis, qui ex eis non iam temporale commodum (quod valde exiguum est) sed spirituale emolumentum, & semper mansurum reportat? Si ergo charitas, & Deum, & omnia bona creata in amantis ius, ac possessionem transfert, quid quæso amanti deficiet, quod minus omnino perfectus existat? Quo indigebit, qui Deum habet? Quo carebit, qui omnes virtutes, & omnia bona in sinu sui cordis recondit? Quanam re priuabitur, cuius sunt vniuersæ proximorum opes, atque diuitiæ? Quid deerit illi, qui omnia ita possidet vt modò velit, nunquam eorum omnium possessionem amittat? R vera, si nihil vero Dei, & proximorum amatori deest ille reputandus est in virtute perfectus.

B

C

D

E

Nec postrema perfectionis qualitas à charitate abest, vt scilicet sit tamquam finis, quem omnibus bonis actionibus assequi cupimus: Nā reliqua charitati militant, & ea ratione præstanda sunt, quatenus charitati seruiant, si verò ei officiant, quamuis magna quamuis pretiosa, quamuis nobilia, penitus relinquenda. Nam quis non relinquat, quæ vitam tollunt, & mortem afferunt, licet vtilia, & optima appareant? At charitas gratiæ subnixæ, animæ vita est, quæ viuimus, quæ vegetamus, quæ ad meritum operamur. Abisciantur igitur omnia, quæ vitam hanc destruunt, & quæ illam conferunt, & promouent, teneantur. Dicat nobis Augustinus quo pacto in vita Christiana, sed præcipue in professione religiosa, quæ vitæ Christianæ purissima est pars, omnia charitati seruire debet. Charitas (inquit) præcipue custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: coit in vnam conspiraturque charitatem, hanc violare tamquam Deum nefas ducitur, huic si quis resistit, expurgatur, atque vitatur, hanc si quis offendit, vno die durare non sinitur. Seciunt hanc ita commendatam esse à Christo, & Apostolis, vt si hæc vna abfit,

Rup. C. 1.
3. in illud
Media
charitate
cōstruit.

Psal. 81.

Rom. 8.

Ang. lib.
de mori
bus Ecclē-
siae c. 33.
tom. 5.

inania, si hæc adit, plena sine omnia.] Testimonium hoc verissimum est. Quoniam nihil religio Christiana, aut professio religiosa non respuit, quod charitati aduersetur, quod amori diuino, aut fraterio repugnet, quæ verò charitatem augent, dilectionem aduersus Deum, & fratres conseruant, ea studiosa iudicat, vtilia existimat, & tamquam sancta, & pura complectitur. Regula itaque omnium bonarum actionum charitas est, quæ mortificationem dirigit, corporis afflictionem, cum opus est, vrget, cum discretio requirit, moderatur, quæ virtutum moralium medium præscribit, quæ inter occupationem, & orationem tempus distribuit, quæ quodcumque aliud opus dimittur, & si congruum sibi, non reperit, non arroganter, sed sapienter, vt inutile, noxium, quæ contemnit. Nonne cuncta, quæ ad agriculturam pertinent, ad fructus colligendos tamquam ad finem, & scopum reuocanda sunt? Vnde fructus sunt veluti regula, & norma eorum, quæ ad terræ culturam, aut faciendâ sunt, aut vitanda. At charitas Dei, & proximi fructus est omnis spiritualis laboris, quo terram nostri cordis excolimus. Fructus autem spiritus (inquit Paulus) charitas, gaudium, Pax,] Et Augustinus. Charitas est fructus noster, quam definit Apostolus, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.] Hac diligimus inuicem, hac diligimus Deum, neque enim vera dilectione diligeremus inuicem, nisi diligentes Deum.] Si charitas fructus est, perfectio spiritualis vita eam tamquam regulam respicit, eam finem, & scopum aliarum bonarum actionum agnoscit. Corporis maceratio, silentium, solitudo, proximorum conuersio, prædicationis munus, oratio, & meditatio, folia sunt, vel certè charitatis instrumenta, necessaria quidem, vt fructus charitatis nõ pereat, & natium decorem retineat: Charitas verò aliis omnibus comparata, est suauissimus fructus. Ne fructum perdamus, vt folia, aut instrumenta agricolationis seruemus sine quo, nec ipsa folia, aut instrumenta permanent. Quia amisso charitatis robore, omnia ruunt, & suam vim, & splendorem abiciunt. Si ergo charitatis, & perfectionis eadem est natura, & sicut ista, ita & illa, suum finem consequitur animus, suum locum occupat, omnibus bonis datur, & ad eam tamquam ad finem in omni actione spiritualis vitæ dirigitur, manifestum est, quia non in alio quam in charitate, tota perfectionis natura essentiæque consistit. Sed, quia in gemina charitate perfectionem esse diximus, altera aduersus Deum, altera aduersus proximum, & quia non omnem charitatem perfectionis, & sanctitatis nomine dignam censemus, ideo inquiramus oportet primùm, quæ charitas Dei, deinde, quæ charitas proximis, ita absoluta, & nobilis sit, & hanc dignitatem sibi vendicet, vt suos possessores perfectos, & sanctos faciat, nomenque perfectionis obtineat.

*Perfectionem non in amore concupiscentia
erga Deum, sed in vera charitate
amicitiæ consistere.*

C A P V T VIII.

CHARITATIS nomen, quæ Deum diligimus, latum admodum est, variasque notiones habens, quæ in mediū proferendæ sunt, & sigillatim explicandæ, ne eam, quæ pertinet ad perfectionis naturam ignoremus, & vnam dilectionem pro alia substituere, in verâ perfectionis adeptione falla-

Amur. ac primò charitas naturalis, quæ Deum auctore naturæ diligit, in quocumque statu fuerit possibilis, ab hac tractatione reiicienda est, quæ perfectionem animæ supernaturalem, gratia & specialibus auxiliis paratam, & nos in magnâ gloriæ cumulum inferentem, inquirat. Charitas verò supernaturalis, siquidem amor Dei esse definitur, duplex est, (nunc autem aliquantulum latè nomine charitatis vtimur) altera concupiscentiæ, altera amicitia. Charitas concupiscentiæ, aut amor concupiscentiæ (vt propriè loquamur) est, quo Deum summum bonum nobis ipsis diligimus, aut propter nos ipsos diligimus. Nò quidem propter nos tamquam propter finem, ne in illam magnam peruersitatem ab Augustino commemoratam, incurramus, quæ homo malè agens fruitor vtendis, & vtitur fruendis, id est, creaturam finem sui facit, & Deum finem, propter quem omnia amanda sunt, refert in creaturam. Sed propter nos tamquam propter subiectum (sic enim in scholis loqui mos est) cui volumus, & amamus finem. Sicut enim volumus, aut amamus nobis cibum, ne fame pereamus, & vestem nobis, ne frigore algeamus, & ne turpes videamur, sic diligimus Deum nobis, vt cibum animæ, quo reficimur: vt vestem, quæ tegimur, & vt omne bonum nostrum, quo diuites, & honorabiles sumus. Hunc amorem parit consideratio nostræ necessitatis, & diuinæ liberalitatis. Nam dum nos aspiciamus, deformes, pauperes, imbecillos, & omnium bonorum indigos, Deum autem nostræ deformitatis destructorem, nostræ paupertatis prouisorum, nostræ imbecillitatis sustentatorem, & omnium bonorum datorem agnoscimus, fit, vt eum, sicut vnicam refugium nostrum, & vt fontem aquæ vitæ nos satiantis, diligamus. Amorem istum, eiusque causas Bernardus explicat in his verbis, Facit se diligi Deus, qui & bona facit, facit autem sic. Qui naturam condidit, ipse & protegit. Nam & ista condita fuit, vt habeat iugiter necessarium protectorem, quem habuit, & conditorem, vt quæ nisi per ipsum non valuit esse, nec sine ipso valeat omnino subsistere. Quod nec sanè de se creatura ignoret, ac proinde sibi (quod absit) superbè arroget beneficia creatoris, vult hominem idem conditor alto quodam salubrique consilio tribulationibus exerceri, vt cum defecerit homo, & subuenerit Deus, dum homo liberatur à Deo, Deus ab homine, vt dignum est, honoretur. Hoc enim dicit: Inuoca me in die tribulationis, eruum te, & honorificabis me.] Fit itaque hoc tali modo, vt homo animalis, & carnalis, qui præter se neminem diligere nouerat, etiâ Deum, vel propter se amare incipiat, quod in ipso nimirum (vt sæpè expertus est) omnia possit, quæ posse tamen proficit, & sine ipso possit nihil.] Hic ergo amor, licet bonus & sanctus, mercenarius tamen est, quem proprii commodi cognitio generat, & merces ac lucrum ad bonum amatum amplectendum inclinat.

Charitas amicitia, cui soli verâ & propria charitatis virtutis Theologicæ natura cõpetit, ea est, quæ Deum, nõ iâ nobis, aut propter nos, sed propter se ipsum, & propter suam bonitatem diligimus. Scitè namque dixit Bernardus: Non sine præmio diligitur Deus, & si absque præmij intuitu diligèdas sit. Vacua namque vera charitas esse nõ potest, nec tamè mercenaria est. Quippe non quærit, quæ sua sunt. Affectus est, non contractus, nec acquiritur pacto, nec acquirit. Sponte afficit, & spontaneum facit. Verus amor seipso contentus est. Habet præmium, sed id quod amatur. Nam quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quod amoris finis pertendit, nõ per quod tendit. Paulus, non euangelizat, vt comedat,

Galat. 5.
Aug. 11.
89. in 103.

Bern. de
diligendo
Deo.

Psal. 49.

Bern. de
diligendo
Deo.

sed comedit, vt euangelizet, eo quod amet, non cibum, se. Ieuangelium. Verus amor primum non requirit, sed meretur. Primum sane, necdum amati proponitur, amanti debetur, perseveranti redditur. Vocatur, autē charitas amicitia, quia vera amicitia est, qua homo non alterius cuiusvis hominis, non regis, aut Pontificis alicuius, non Angeli, aut Archangeli, non cuiusdam superioris caelestis spiritus, sed ipsius Dei amicus efficitur. Omnia enim, quae sapientes huius mundi, propria esse amicitiae voluerunt; ea Christiana, & supernaturalis charitas Dei ad hominem, & hominis ad Deum non solum habet, verum etiam multo praestantius quam humana amicitia, & excellentius assequitur. Nam si amicitia alicui bono subnititur, quod mutuo amici communicant; charitatis amor, praestantissimum gratiae donum praesupponit, eique insidet, cuius beneficio (vt Petrus Apostolus ait) diuinae efficiuntur consortes naturae. Si amicitia est amor, non statim dissolubilis, sed continuus, ac perseverans, Charitas, (quod ad suam naturam attinet) amor permanens est, quia habitus voluntatis, quia Deo infundente, & donante productus, quia diuinis auxiliis conseruatus, assiduus beneficiis auctus, nulla Dei nos iniuria afficientis offensus, quem sponsa huius amoris bene conlecia fortem inlitar mortis nuncupauit. Quod si homines facile hunc erga Deum amorem dissoluunt, non fragilitas, aut imbecillitas charitatis id facit, quae, (vt Paulus ait) nec tribulationibus, nec angustiis, nec mortibus cedit; sed efficit malitia humanae voluntatis. Amicitia est amor mutuus, quo duo amici se inuicem diligunt, & mutua est dilectio charitatis. Impossibile est enim ab homine Deū diligere, quin à Deo ipse homo diligatur. Cum vox summae veritatis sit: Qui diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Amicitia lucrum non quaerit, mercedem non respicit, voluptatem non cogitat, sed amicum gratis diligit, & propter seipsum. Et sanè iniuriam charitati irrogaret maximam, qui ei hanc perfectionem auferret. Amat captiuus charitatis Deum propter seipsum, & omnia creata ad amandum illis verbis inquit. Confitemini Domino, quoniam bonus. Qui Domino confitetur, (inquit Bernardus) non quia sibi bonus est, sed quoniam bonus est, hic diligit Deum propter Deum, & non propter seipsum. Parum est hoc, seipsum homo, & omnia creata diligit propter Deum. Quia vino amoris inebriatus canit. Quid mihi est caelo, & à te quid volui super terram; defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in aeternum. Amat & Deus hominem propter ipsum hominem, quia non lucri, aut honoris causa, non voluptatis obtentu eum diligit, sed vt in eum sua bona conferat, suae misericordiae diuitias effundat. Si verò tandem amor Dei erga nos, nequaquam in nobis sistit, seu in Deum ipsum refunditur, qui sicut omnia propter seipsum operatus est; ita vniuersa propter semetipsum amore profequitur; id nullo pacto cum vera amicitia pugnat, quae amicum amat, nec eius minuendo perfectionem, nec destruendo naturam. Haec est autem hominis natura, vt totus in Deum auctorem suum referendus sit, haec eius summa perfectio, vt in finem, cuius gratia conditus est, sit Dei amore reuocandus.

Amicitia quoque amor est, vtrique amico notus, & tum verbis, tum mutuis officiis patefactus, quia notitia profectò, non est priuata charitas, cum Deus se à iusto diligi, & iustus se à Deo amari cognoscat. Deus quidem, qui summè sapiens est, & ad interio-

ra cordis penetrat se amari ab anima iusta nequaquam ignorat. Quare interrogatus Petrus à Christo Salvatore nostro, an ipsum diligeret, modestè sapienterque respondit, Tu seis Domine, quia amo te, Amicum videlicet vnicè dilectum sui amoris testem, & cognitorem ostendens. Anima etiam se à Deo amari manifestis coniecturis agnoscit, quo largitore, peccati odio, virtutis desiderio, praemij spe, & alicuius puritatis decore se dignatam esse non ambigit. Nam si Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filij Dei, letiam testimonium reddit nos à Deo diligi, cuius dilectionis opus est, quod adpremum in filios. Notus itaque est amor iste verbis & factis, tam Deo quam nobis. Verbis quidem, quibus & anima in lectulo orationis quiescens amoris vacat amplexibus, & soli amatori suo pandit sui amoris affectum, quibus, & Deus animae se etiam amore ligatum esse, & charitate victum, ineffabili quadam ratione, & abditissimo sermone manifestat. Factis autem, quia Deus amatori suo obsequiis, Deus immensis donorum monilibus, anima custodia mandatorum conceptum amorem ostendit. Amicitia bona amico vult, quia semper inuenitur cum beneuolentia coniuncta, & charitatis hoc proprium est, vt Deus nobis, & nos Deo, non solum vera, sed ingentia bona velimus. Ille, cuius amor efficacis & operatorius est, maxima bona nobis amicis suis vult, gratiam, virtutes, dona, & ea volendo operatur in nobis. Et nos, quorum amor comparatione Dei vsque ad effectum extendi non potest, salutem volumus, vt Deus suum esse habeat, suas infinitas perfectiones possideat, & de hoc sepius cum ingenti cordis exultatione gaudemus. Hoc gaudium à nobis postulat Paulus, cum ait: Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Hoc anima apud Isaiam se habituram non sine magna ascensionem promittit, dicens: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Ne autem de inefficacia, aut impotentia amoris nostri tristemur, etiam bona quadam aeterna Deo volumus, suae bonitatis notitiam, suae maiestatis reuerentiam, sui nominis exaltationem, suae legis impletionem, & haec praedicando, & peccatores conuertendo facimus, & ei, vt possumus, bona largimur. His certe bonis non eget Dominus, neque eorum oblatione eius, aut maiestas, aut bonitas crescit, quippe qui infinitus est, nihil in seipso à creaturis accipiens, & planè Deus, qui honorum nostrorum non indiget. Sed tamen pauperum amicorum obsequia, & hominum tenuitati possibilia, neque reiecit, neque contemnit. Ideo sacrae paginae honorem, & gloriam Deo offerre nos admonent: Afferte (inquiunt) Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius. Et alio loco: Honora Dominum ex tota anima tua, & ipse Dominus per Malachiam, de filiis, & seruis suis palam, aperteque conqueritur, quod sibi honorem debitum non exhibeant. Filii honorat patrem, & seruus Dominum suum, Si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus, & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?

Quid plura? si amicitia inter aequales, inter duos tantum, & inter eos, quos vnus efficit, esse describitur. Ista verae charitati non desunt, quae nos ad quamdam Dei participationem effert, ob quam diu nuncupamur, & filij excelsi omnes, & Deū ad nostram naturam induendam demisit. Angusta sanè amicitia est, quae, aut naturae, aut status aequalitatem exigit, ista verò sine vlla cōparatione acrior, atque perfectior, quae in naturae, aut status diuersitate aequalitatem affectus, id est, animos verè amicos, & eodem mo-

Ioan. 21.

Rom. 3.

1. Pet. 1.

Cant. 8.

Ioan. 14.

1. Pet. 1.7. Bernard.

Psal. 72.

Philip. 4.

1. Pet. 6.1.

Psal. 28. Eccles. 7.

Malach. 1.

Psal. 81.

do ac sua, amicorum bona curantes inducit. Talis autem est charitas, qua anima erga Deum, tamquam erga Patrem, aut sponsum afficit, & eius beneplacitum omni propriae voluntati anteponeat, & qua Deus animam, ut charissimam filiam, aut sponsam pulcherrimam diligit, & eius bonum ita zelat, ut dicat: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.] Hæc inter iuos tantum est. Nam Deus ita quemque nostrum diligit, ac si solum, & sine socio diligeret, cuius amor extensus ad plures, in nullo, aut tepidus, aut obliuiofus inuenitur. Et homo, si verè Deum diligit, nullum alium nisi Dei causa, & secundum eius imperium in amoris confortium admittit. Charitas denique inter Deum, & hominem, vnum facit de duobus; non vnum natura, sed vnum affectione. Nā qui adhæret Domino, vnus spiritus est.] Facit vnum affectione, quoniam his amicis vnum est velle, vnum nolle, vnum gaudium, vnum desiderium, vna per similitudinem quamdam actionum morumque concordia. O felix amicitia charitatis, qua homo amicum summè sapientem, infinite bonum, & incomprehensibiliter potentem habet, & Deus hominē ad suam amicitiam admittendo, ineffabilem sui diuini cordis pietatem, & suauitatem ostendit. O beata amicitia inter Deum, & hominē, hoc est, inter thesaurum omnium bonorum, & cumulum vniuersarum miseriarum, quæ Deum non fedat, & hominem mundat, quæ Deum non deicit, & hominem effert, quæ Deum non turbat, & hominem tranquillat, quæ Deum non spoliât, & hominem ditat, quæ Deum tædio non afficit, & hominem celestibus consolationibus replet: & quæ Deū, & hominem connectendo, istius miseriam leuat, & illius miserationes amplificat.

Hanc præstantissimam, & desiderabilem amicitiam, non natura procreat in nobis, non facultas liberi arbitrij progignit, sed Deus ipse in paruulis per lauacrum regenerationis, in adultis verò, qui post baptismum grauitèr deliquerunt, per penitentiae sacramentum, aut re, aut voto ritè susceptum, meritis Iesu Christi exigentibus, simul cum gratia, & vita spirituali anima, in voluntate nostra clementer infundit. Quod Paulus perspicuis verbis testatus est, charitatis causam non aliam quam Spiritum sanctum liberaliter dantem, & misericorditer eam in nos effundentem agnoscens. Quam charitatem, licet homo adultus, qui semel, aut sæpe aliquod crimen commisit, non ex merito habeat, (nunc enim paruulos mittimus sola virtute sacramenti, & præua matris Ecclesie fide iustificatos,) non tamen sine dispositione, aut præparatione aliqua, particeps tam eximie virtutis efficitur. Nam primò clementissimus Dominus, & verissimus miserationum Pater, peccatorem in peccatis dormientem, excitat, fugientem vocat, & nullis eius poitentibus meritis, imò multis diuinam indignationem prouocantibus demeritis, ad supernaturalem amicitiam suam & familiaritatem inuitat. Huius vocationis Ecclesia meminit, cum pro suis membris fores diuinæ misericordie pulsât, dicens: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, innoua dies nostros sicut à principio.] Quin & singula Ecclesie membra eandem vocationem postulant, cum eorum quisque verba Iob innumeris calamitatibus afflicti, sibi ipsi accommodat, & non pro dolore corporis, sed pro cruciata animæ à peccato proueniente, sibi conuenite pronunciant. Quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos secundum dies, quibus Deus custodiebat me.] Dies quippe nostri sicut à principio, & menses pristini, tempus gratiæ designant, ad quos

A redire cupimus, cum Dei vocationem nos à vetustate peccatorum, ad nouitatem vitæ reuocantem afficimus. Cui vocationi licet à Deo incipiēt, quia non sine gratiæ auxilio (quod præsto nobis est) nos respondere oportet, ideo per Ioseph prophetā ad conuersionem excitamur, cum tubam prædicationis insonantem audimus. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.] Et rursus per Zachariam ait Dominus exercituum, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.] Ac si diceret: prius quidem ego conuerti me ad vos, à somno peccatorum excitando, & vestram molliendo duritiem: conuertimini igitur vos ad me, vocationi meæ respondendo, & meam inspirationem accipiendo, ut tandem ego conuertar ad vos iustificando, & gratiam ac amicitiam meam vobis dando.

Post diuinam vocationem antequam dominus per gratiam & charitatem in nos veniat, nonnulla dona præcedunt, quæ simul sunt actiones, ac præparationes nostræ, & dona Dei: actiones nostræ, quatenus liberè à nobis elicitæ, & dona Dei, quatenus ab eius auxilio procedentes, & nõ viribus solius liberi arbitrij productæ. Sicut enim Domino veniente ad Eliam, spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras, tremendam Dei maiestatem antecessit, & non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio, & non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, & non in igne Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis, & in eò tenuissimo & tranquillissimo sibilo se ostendit Dominus. Ita Domino veniente ad nos, ut in nobis habiteret, & pelagus erga vilissimos homines suæ benignitatis ostendat, præcedit eum spiritus fidei grandis, & fortis, qui Gehennæ supplicia semper duratura proponens, superbiæ montes euertit, & petras cordium nostrorum emollit. Post fidei spiritum, timoris commotio, quo maiestatem violatam timemus, & metu æternæ pœnæ incurrendæ concutimur. Post commotionem, spei & fiduciæ ignis, splendore suo mentem erigens, rerum labētium exilitatem aperiens, & in opum celestium desiderium atollens. Post ignem verò sibilus auræ tenuis, qui profectò non est alius quam spiritus charitatis Deum super omnia diligens, peccata detestans, nouam vitam diuinæ legi conformem strenuè proponens, in quo sibilo Dominus ipse cum anima, tamquam cum sponsa dilecta loquitur, & non iratus, aut inimicus, sed placatus & amicus ostenditur. In hoc sibilo aut in hoc lenissimo charitatis spiritu, vera nostra ad Deum amicitia consistit, qua cum nõ mercedis intuitu, non voluptatis obtentu; sed propter ipsum, & propter suam bonitatem diligim, & omnib' rebus creatis præferimus. Cui amori ac sincerissimæ charitati, ipse gratus existens, nos amicos vocat, tamquam filios diligit, & in fidelissimos sodales admittit.

Perfectio ergo animæ, non est charitas concupiscentiæ erga Deum, qua ipsum & bona sua nobis volumus; sed charitas amicitie, qua Dei amici constituimur, & ipsum eius solius gratia diligimus. Nec mirum esse debet, si charitatis nomen ad amorem concupiscentiæ extendamus, quod Scriptura diuina ad profanum amorem extendit. Vnde Iudith pro Assyriorum & Holofernis victoria deprecans, ita loquuta est: Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percutes eum ex labiis charitatis meæ.] Vera tamen charitas sola est amicitia Dei, quam perfectionem putamus, & sanctitatem, ac puritatem mentis asserimus. Hæc enim

Zacha. 2.

1. Cor. 6.

Rom. 5.

Thren. 5.

Iob 19.

Ios. 2.

Zachar. 1.

Reg. 19.

Ioan. 15.

Iudith. 9.

Cassi. col.
11. c. 6.

charitas amicitie est, quae mentem nostram ultimo fini copulat, dum nihil inter Deum, & illam dissidij, & inimicitie relinquit: haec, quae membris Ecclesiae coniungit, dum omnem discordiam de medio tollit: haec, quae omnia bona secum inuehit, dum virtutes, & dona, animae viribus, & facultatibus inserit: haec, quae honorum operum praesidio quaerenda est; quia nisi bonum opus ab illa procedat, & in illam redeat, caelestem (quam inquirunt) mercedem amittit. Sapienter itaque Cassianus, cum docuisset tria esse, quae faciant homines a vitis abstinere; poenae metum, & praemij spem; & boni affectum, qui ad charitatem pertinet) amoremque virtutum, ista subiecit. Quae tria, licet ad vnum finem tendere videantur (provoquant enim nos a rebus illicitis abstinere) magnis tamen excellentiae suae gradibus ad invicem disparantur. Duo namque superiora proprie sunt hominum eorum qui ad profectum tendentes, nec dum affectum concipere virtutum. Tertium specialiter Dei est, & eorum, qui in sese imaginem Dei, ac similitudinem receperunt. Quae verba, ita possumus explicare, ut affectus timoris incipientium sit, desiderium praemij eorum, qui in virtute proficiunt; & amoris impulsus illorum qui ad perfectionem perueniunt. Quare, amor concupiscentiae ad summum, proficientium est, charitas vero faciens, nos, virtutem, eius tantum amore, complecti, & ob Dei gloriam, bonis operibus inhaerere, Sanctorum propria est, ac perfectorum. Nam sicut, qui in curia regis solum poenarum metu ab iniquitatibus teperrant, cor mancipiorum, & seruorum induunt; qui vero dignitatem aliquam, aut honorabile munus consequi cupiunt, in aulicorum numerum computantur. at, qui ad nihil aliud, nisi ad regiam amicitiam, & familiaritatem anhelant, non serui sunt, non aulici tantum, sed sodales, & amici charissimi: Ita in Ecclesia Dei, quae curia est Christi regis caelestis, aut in religiosa vita, quae eiusdem Domini est aula regalis, serui sunt, qui timore poenarum peccata fugiunt, & diuina praeccepta custodiunt; mercenarij sunt, qui praemij desiderio malos mores exiunt, & virtutes consectantur: amici vero sunt, & filij dilecti, qui ex ceteri solo charitatis, siue amoris affectu, non sola grauiora peccata, sed leuissima quoque metunt, & omne honorum operum genus, ut dilecto suo placeant, incredibili auiditate, & conatu suscipiunt. Si autem in aula regis terreni non est status, aut munus aliquod amicorum, & filiorum dignitate praestantius, neque in palatio regis caelestis erit status, filiorum, & amicorum Dei gradu, & splendore nobilior. In hoc igitur gradu, quo bonum, ob eius decorum amplectimur, & Deo, eius ipsius gratia, & non mercedis obtentu famulemur, tamquam in gradu sublimissimo collocanda est mentis humanae perfectio.

1. Cor. 12.

Haec sunt dona meliora, hoc est, optima, & excellentissima, ad quae Paulus aliorum donorum desiderio feruentes, nos prouocat, dicens: *Emulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Interpretemur nos sic, Bonae sunt gratiae, bonae sunt virtutes, bona sunt omnia dona Dei: sed vos emulamini donorum optimum, quod re vera non est aliud, nisi charitas, qua Dei amici reddimur, qua diuinum amorem, & erga nos beneuolentiam properemur, a qua tamquam a perenni fonte alia dona, aliae virtutes, aliae gratiae manare noscuntur: Bona etiam via est humilitas, bona via mansuetudo, bona via obedientia, sed praestantissima est charitatis, & amicitiae Dei via, quam veluti altarum finem, & scopum vobis demonstro. Haec

A viam (ut inquit Augustinus) ambulauit Christus Saluator noster, qui crucifixus, & amore Patris aeterni ardens, pro inimicis, & persecutoribus exorauit, ut & nos eandem ambulemus, si in Christo manere volumus; & de perfectione Christi imitatrice gloriamur. Hoc donum praestat ceteris donis, quod inquit olei (asserente eodem Augustino, atque Anselmo) omnibus donis, ac virtutibus supereminet. Vbi igitur perfectionem reperimus, nisi in amicitia Dei: Quam viam proximam caelo, & praestantissimum Dei donum, ac planè finem, propter quam alia dona sunt expetenda, & didicimus, & agnouimus. Bernardus certe istum putat, quartum, ac postremum charitatis gradum, dum quis scilicet ed vsque in Dei amicitia processit, ut non solum Deum propter semetipsum, verum etiam vniuersa creata, & seipsum quoque, qui vna ex rebus creatis est, non propter aliud diligit, nisi propter ipsum Deum. Amor iste (inquit) mons est, & mons Dei excelsus. Re vera mons coagulatus, mons pinguis. Quis ascendet in montem Domini? Quis dabit mihi pennas sicut columbae, & volabo, & requiescam? Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Caro, & sanguis vas luteum, & terrena inhabitatio quando caput hoc? Quando huiuscemodi experitur affectum, ut diuino inebriatus amore animus, oblitus sui, factusque sibiipsum tamquam vas perditum, totus pergat in Deum, & adhaerens Deo, vnus cum eo spiritus fiat, & dicat: Defecit caro mea, & cor meum, Deus in cordis mei, & pars mea, Deus in aeternum? Beatum dixerim, & sanctum cui tale aliquid in hac mortali vita raro interdum, aut semel, & hoc ipsum raptim, acque vnus vix momenti spacio experiri donatum est. Quae omnia sanè aperte indicant hanc ardentissimam charitatem perfectionem esse, quae sola nomen montis excelsi habet, cui aliae virtutes comparatae, aut colles, aut certe montes minores putandi sunt, quae affectuum pennae, & desideriorum volatibus expetenda est, quae locus est quem laboribus multis, & bellis periculosis comparauimus, locus vti que pacis, atque quietis. Et istum locum sine dubio omnes perfecti, quod attinet ad effectum, possident, quia Deum verissime omnibus & sibiipsum praefertunt, licet affectum non sentiant. Hic enim ardens affectus illis interdum in contemplatione datur, sed ne suos thesauros agnoscendo superbiant, saepe subtrahitur, nec saepe tanti boni experientia conceditur. Liqueat ergo, amorem concupiscentiae, quo Deum nobisipsum volumus, optimum bonum animae non esse, atque adeo longè a perfectione distare, amorem vero amicitiae, qui optima gemma est animae, ac thesaurus pretiosissimus, perfectionis & sanctitatis naturam continere.

Perfectionem non esse charitatem afficientem, sed efficientem.

CAPVT IX.



OE MINA illustris, quae in sui ornatum pretiosam gemmam, non vili pretio comparare gestit, si illam institoris inter merces inueniat, exquisita diligentia considerat, & non sola opinione sua, sed iudicio quoque aliorum examinat, omni que ex parte circumspicit, ne fal-

lam

August.
de verb.
Apost.Aug. tr. in
Ioan. An-
selm. Cor.
12.Bern. de
diligendo.
Deo.
Psal. 54.
Psal. 67.
Psal. 23.
Psal. 75.
Psal. 119.1. Cor. 6.
Psal. 72.

lam gemmam pro vera coemat, & vilem, ac nullius valoris pro splendida, & pulchra margarita magno pretio expenso recipiat. Sic anima ad coniugium regis Christi vocata, cupiens margaritam perfectionis, qua seipsam ad nuptias caelestes exornet, pretio sui ipsius, & omnium, quae possidebat, mercari debet (inuenta charitate, quam esse perfectionis gemmam audiuit) magna illam diligentia collustrare, & in omnem ipsius partem oculos contemplationis vertere, ne temerario errore decepta adulterinam perfectionem pro vera, & vmbra tantum sanctitatis pro ipsa veritate, conquirit. Non ergo debet illi prolixum, & molestem videri, si adhuc in vera amicitiae charitate aliquid, quod auxilium tantum est assequenda perfectionis, ab eo quod est ipsa perfectionis substantia, atque natura dilucide ac manifeste distinguamus. Ne autem statim in huius tractationis vestibulo, id est, in significatione nominum hereamus, quid intelligendum sit nomine charitatis afficietis, & efficientis operae, pretium est declarare. Charitas certe geminos habet actus, sive affectus, ad quos quilibet amor, etiam humanus, aut prophanus, amantem inclinat. Sicut enim iste erga te amatam flagrat amoris affectu, quo ei bona cupit, & in eius bonis iam adeptis gaudet, atque ipsius praesentia, & alloquio delectatur, habet & amoris actum, quo vult, nec latum, vnguem ab amati imperio diledere, & in omnibus, si ardens sit amor, amici exequitur voluntatem: Ita iustus utique amicus Dei, erga Deum dilectum suum eandem verae amicitiae actiones, sive effectus experitur. Vnde charitas afficiens est virtus ipsa charitatis, iusti animam affectibus amoris inflammas, & ad volendum Deo bona sua, ad gaudendum de perfectionibus Dei, ad desiderandum, ut omnes ei seruiant, & diuino subiiciantur imperio, & ad ipsius praesentiam suspirandam, & ad alios similes affectus impellens. Charitas autem efficiens est, ipsa etiam charitatis virtus, prout mouet ad custodienda mandata, ad amplectenda consilia, & ad diuinum beneplacitum exequendum, ita vt supra, dulcedinem, & tenerritatem amoris, opere efficacitatem habeat, & Dei in omnibus (prout in hac vita possibile est) perficiat voluntatem. Charitatis afficiens vox est: Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sicut anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Illud etiam: Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus. Insuper & illud: Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animae. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. Charitatis efficiens opus est: Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiae tuae. Illud deinde: Propter verba labiorum tuorum ego custodiu i vias duras. Et illud quoque: In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas. In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos. Illa magis ad tempus orationis pertinet, haec magis ad tempus actionis: Illa in desiderio est, haec in opere: illa in verbo, ista in vita: illa se amatricem proficitur, ista se amatricem ostendit, quia (vt Gregorius ait) Probatio dilectionis exhibitio est operis.]

Perfectionis ergo natura, non in charitate afficiente, sed in efficiente consistit. Nec aliquis perfectus est, quia dulcius ad Deum, & tenerius afficitur, nec quia in seruire orationis maiorem suauitatem, aut consolationem percipit, sed quia maiori fidelitate, & conatu, ex charitate mandata vniuersa ca-

A) stodit, purius viuunt, & accuratius in omnibus diuina se accommodat voluntati. Dominus enim qui rerum naturas optime nouit, & perfectionis substantiam explicatius, verbo & exemplo monstrauit, non eam in affectis, sed in effectis constituit, dicens: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & qui non diligit me sermones meos non seruat. Quasi dicat, Parum ad veram dilectionem, atque adeo ad veram perfectionem proderit, quod quis affectibus abundet, si seipsum non vincat, si noxia non vitet, si suae salutis proficua, id est; mandata, & consilia non impleat; multum vero dilectionis, & perfectionis habet, qui affectibus, & dulcedine carens, praeccepta complectitur, diuina iussa custodit, & iuxta praescriptum professionis suae, ab eo, quod Deo placitum est, nulla ratione discedit. Doctrina haec summa ac prima veritatis verissima est: quoniam affectus illi dulces & suaves amoris, possunt sine gratia sanante mentem, & sine charitate produci, nec tantum ab incipiente verum ab imperfectissimo quoque, imò & a magno peccatore possideri, qui speciali quodam auxilio fultus, Deum, quem suum auctorem agnouit, suum benefactorem animaduertit, diligit propter suam bonitatem, tenero quodam & minus efficaci dilectionis affectu. Quae autem, rogo, sanctitas, aut perfectio erit, quam iniqui habent, quam imperfecti interdu suas imperfectiones non exuentes assequuntur, quam sine gratia, sine animae vita, & sine vera amicitia Dei (vt istam quarant, & saeculi amicitiae valeant) aliquando peccatores recipiunt? Si vero isti affectus erga Deum in iustis, & amicis Dei ab habitu charitatis procedant (quod certissimum iudico) non tamen ideo charitas est anima nostra perfectio, quia dulces, & teneras affectiones elicit, sed quia fortiter tentationes vincit, strenue aduersus vitia & prauos affectus dimicat, & mandatorum, ac consiliorum actiones producit. Nec enim verbis, sed factis, amoris veritas comprobatur, dicente Apostolo Ioanne, Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Egregie profecto eximius contemplator Richardus, huius rei quam asseruimus, rationem exposuit. Affectuosa dilectio (inquit) qua superius dilectionem animae significari diximus, interdum plus afficit minus diligentem, & minus perfectiorem. Non enim tantum diligit quisque, quantum hanc sentit, & quantum in illo (tatu sibi diligere videtur, sed quantum in virtutibus, & charitate fundatus fuit, & in seruandis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deum affectus, quodammodo carnalis est, & fallax, & humanitatis interdum potius, quam gratiae, cordis, quam spiritus, sensualitatis, quam rationis: Ita, vt magis accedat aliquando ad minus bonum, & minus ad maius, & aliquid, quod sapit amplius, quam quod expedit. Hoc affectu errabant discipuli, & carnaliter Deum diligebant, cuius praesentia carere nolebant. Vnde etiam non diligere arguebantur, qui quod delectaret magis, quam quod expediret, amplectebantur. Sic affectuose interdum carnalis aliquis, & imperfectus ad Deum afficitur, non quod valde diligit, sed quia dulcedinem gratiae degustat, quod quantum durat, tantum iuuat, quoadiu durat dulcedo, durat & dilectio. Sed non agnosceretur in bonis amicis. In die naque ista Dominus quidem misericordiam suam mandat, sed in nocte tentationum, & laborum, in praecceptis declarat, quantum quisque diligit. Isti itaque amoris affectus a vera charitate in iustis procedunt, non tamen charitatis perfectionem indicant, quia licet incipiens sit, & imperfecta, potest ob qualitatem naturae blada, & tenerae, aut ob alias

Ioan. 13.

1. Ioan. 3.

Richard. in Cant. c. 6.

causas, suo loco tractandas, in hos amoris affectus, vehementissime prosilire, sed hanc amoris perfectionem, vite puritas, & mandatorum exquisita custodia, & (vt vno verbo dicam) diuinæ voluntatis in omnibus exequutio declarat.

O quantus ista dilectio affectuosa seduxit; qui suam perfectionem affectibus, & non operibus æstimantes, suauitate, & non labore metientes; post multos annos in vita spirituali consumptos, inueniunt sunt infirmi, atque imperfecti! Planè sodales mensæ, qui consententur Domino, quandiu benefecerit eis; cum autem desolatione percussit, tentatione exercuerit, tribulatione vexauerit, à primo seruire decidunt, & se non factores legis, non perfectos diuinæ voluntatis amatores, sed suorum sensuum, & suarum voluntatum sectatores inueniunt. Audiât hi à dilecto Christi discipulo, & ipsa Spiritus sancti doctrina ditato, & eximia sanctitate honestato, an in affectibus, aut in affectibus summæ perfectionis, ac veræ virtutis consistat. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem seruat verbum eius, in hoc charitas Dei perfecta est. Si præcepta transgredientibus notitia Dei efficax, & quæ ad actionem moueat, denegatur, an credemus, quia sanctitas, & perfectio conceditur? Nullo modo, sed quæuis, vt sibi videtur, diligant (& re vera non diligunt) quam tumuis magnifice de Deo sentiant, imò, & raptus, atque extrales patiantur, longè non solum à perfectione, verum à perfectionis itinere distiti sunt. Meritò sanè Bernardus amorem istum dulcem, & seductibilem vocat; dulcem, quia mirabili suauitate inebriat, & à rerum mundanarum desiderio, imò & à cura necessaria proprii corporis mentem abducit, & seductibilem, quia solet nonnumquam in corde virorum spiritualium, non eius culpa, quia bonus, & pretiosus est, sed ipsorum ignorantia, & negligentia, primas sedes occupare, & infimum, aut nullum locum amori essentiali (sic enim vocatur) aut veræ charitati relinquere. Amor iste afficiens, Christum ore animæ atque affectibus Dominum vocat; at charitas efficax opere ipso Dominum appellat, & mandatorum obedientia, Dominum, & Patrem agnoscit. Scriptum est autem, Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum celorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in celis est, ipse intrabit in regnum celorum. Huic ergo charitati, quæ opera habet, Patrisque voluntatem implet, & non illi amori, qui sepe sola verba profundit, & desideriis sibi ipsi satisfacit, perfectionis palma tribuenda est, & veræ virtutis appellatio condonanda.

Ecclesia quidem, quæ columna est veritatis, & in rebus, aut ad fidem, aut ad morum instructionem pertinentibus, falli non potest, ita sentit, & perfectionem, sicut non ex miraculis, ita non ex affectibus, aut ex interna dulcedine, sed ex mentis puritate, tribulationum sustententia, & bonorum operum continuata serie coniecit, neque illum perfectum, & sanctum prædicat, quem vacua desideria, & suaves tantum affectus occupant, sed quem sancta opera, & viles labores exornant. Describat nobis virum perfectum magnus doctor Ambrosius, qui absque dubio matris Ecclesiæ spiritum hausit, exponatque in quibus eius perfectio consistat. Perfecti est viri (inquit) communitatem naturæ sustentare, animi virtute, & ad meliora adducere, nec succumbere iis, quæ plerisque terribilia, & formidolosa videntur, sed quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incursus, consiliis subire, & quasi prouidum gubernatorem, nauim in tempestate regere,

atque occurrere in surgentibus fluctibus, magis vitare naufragium, sulcando vndas, quam declinando. Non iste in perfectione pauidus, non in tormentis mollior, ne torquentem exasperet, sed quasi athleta fortis, qui repercutiat verberantem, si non cædis, certe sermonis flagello, qui metuenda multis tormenta despiciat, dicens: sagittæ infantium, factæ sunt plagæ eorum, qui cum grauissimo licet dolore luctetur, nec se miserabilem præbeat, sed extendat, tamquam in latera lumen, etiam inter asperas procillas, & grauissimos flatus, suam lucere, neque extingui posse animi virtutem. Addit idem Ambrosius eius viri perfecti naturam describens, eum in iniuriis se ipsum sustentare, abiecta & vilia non curare, in misera captiuorum sorte, viles animos non induere, sed verbo, & exemplo, aliorum flagitia instar iudicis reprehendere. Eum etiam omnes à malo abducere, ad bonum impellere, in eolumitatem corporis, & vniuersas res terrenas aspernari, virtutes diligere, proprias voluntates rescindere, & ipsam mortem non timere. Hæc sunt iustorum vota, hæc virorum perfectorum insignia, hæc perfectæ charitatis opera, non dulces tantum, & suaves affectus, quos non propter se ipsos, sed propter diuinæ legis custodiam, & propter bonorum operum studia cupimus, atque diligimus. Perfecto Augustinus perfectam charitatem, quam perfectionem animi statim astruemus; non ex dulcedine affectus, sed ex cupiditatis extinctione cognouit. Charitatis (inquit) venenum est, spes adipiscendotum, aut retinendorum temporalium. Nutrimentum eius est, imminutio cupiditatis. Perfectio nulla cupiditas. Signum perfectus eius, imminutio timoris, signum perfectionis eius, nullus timor, quia & radix est omnium malorum cupiditas, & consummata dilectio foras mittit timorem. Origenes quoque illud canonicorum explicans, secundum versionem septuaginta virorum: Rectitudo dilexit te, eam charitatem nomine perfectionis nobilitat, quæ in nos omnem puritatem infuset, omnem equitatem afferat, & nullam iniquitatem admittat. Quin & Clemens Alexandrinus, vir quidem sapientissimus, & præceptor Origenis, perfectum virum apud depiagens, ab eo non nuda desideria, neque affectiones ieiunas, sed malorum tolerantiam, virtutum exercitationem, rerum terrenarum contemptum, in cura aliorum mentem à Deo indiuisam exquirat. Hanc ergo & nos charitatem, nomine perfectionis dignam existimemus, quæ Deo omnia placida efficiat, quæ peccata destruat, passiones cohibeat, vana desideria arceat, honores, voluptates, & diuitias spernat, altitudinem mundi conculcat, virtutum actiones exerceat, fratribus, data occasione, profit, & Angelicam puritatem inducat.

Afficiens autem charitas, vel (vt apertius loquamur) charitatis affectus iugiter repetitus, validissimum perfectionis instrumentum est. Sicut enim humilitatem propria deiectione, obedientiam subiectione, mansuetudinem iniuriarum perpessione, & quamlibet aliam virtutem propriis actibus promeremur. Ita charitatis augmentum & perfectionem potissimum actibus amoris coparamus. Ibi actus sunt, qui creaturarum amorem minuunt, metem à terrenis abstrahunt, voluntatem ad cælestia sustollunt, cor ad omne virtutis opus amplectendum emolliunt, & nos ipsos Deo immobiliter vniunt. Isti actus sunt, qui vitam iustam semper reficiunt, incipientem ad modum lactis enutriunt, proficientem tamquam cibi solidiores sustentant, & perfectum instar nectaris, & ambrosiæ, id est, instar alimenti cælestis ad vitam purissimam, & planè cælestem impellunt. Isti

1. Ioan. 2.

Bernard.
ser. 20. in
Cant.

Matth. 7.

Amb. lib.
1. de la-
cob. c. vii.Augu. lib.
18. qq. 9.
6.Orig. lib.
n. Cant.
c. 11.Clem. Ale-
xandr. 7.
inomat.

actus in vitæ spiritualis exordio fragiles. in medio robusti, in fine, & perfectione inseparabiles se exhibent, & cum anima ipsa crescente, & proficiente proficiunt. Istos anima (actibus iam, & operibus ad perfectionem prouecta) solet tamquam portionem præmij recipere, vt inter molestias vitæ huius, aliquam veluti stillam gustet exultationis cælestis. Nam (vt Bernardus ait) charitas in opere mādatur ad meritum, & charitas in affectu datur in præmij. Affectus itaque charitatis, valde nos in adeptione perfectionis promouent; sed opera charitatis, cum ad eam mensuram peruenerint, quam statim exponemus, sunt ipsa sanctitas, atque perfectio. Nam si in affectione perfectionis summa consisteret, certe opera propter dulces affectiones accipienda essent; & cum eas impedirent, aut minuenda essent, aut penitus omittenda. Nō tamen ita est, sed potius affectus propter charitatis opera amplectimur, & nonnumquam, (vt in istam incumbamus) illos derelinquimus. Quare idem sanctus Pater Bernardus scite ait, in hoc negotio illud Domini impleri. Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.] Quoniam Dei cultum, & internū amoris affectum, sine dubio magis amabilem propter necessaria humanitatis opera sæpe deserimus, & illum, his non sine mercede magna postponimus. Etenim in bene affecta mente (inquit) non dubium, quin dilectioni hominis, Dei dilectio præponatur, & in hominib' ipsis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas temporij, anima carni. Attamen in bene ordinata actione, sapē, aut etiam semper, ordo oppositus inuenitur. Nā, & circa proximi curam, & plus vrgemur, & pluries occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus, & paci terræ magis quam cæli gloriæ iure humanitatis, & ipsa necessitate intendimus, & temporalium inquietudine curamur, vix aliquid sentire de æternis permittitur, & languoribus nostri corporis, postposita animæ cura penē continuē inferuimus, & ipsis deniq; infirmioribus membris nostris, abundantiorē honorem, iuxta sententiam Apostoli, circūdamus, per hoc, quodammodo faciētes verbum Domini, de quo habes. Erūt nouissimi primi, & primi nouissimi.] Orantem denique hominem, cum Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde, charitate iubente, abducimur, & auellimur propter eos, qui nostra indigent opera, vel loquela? Quoties piē cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bona conscientia ponitur codex, vt operi manuum insuderet? Quoties pro administrandis terrenis iustissime ipsis superfedemus celebrandis missarum solemnibus? Ex quibus manifeste constat charitatis opera, & sanctæ dilectionis effectus potius esse quærendos, & præ affectibus æstimādos, quos lex diuina præcipit, Deus ipse primo loco suscipiēdos iubet, & ordo charitatis exposcit.

Hinc certē illud colligimus solas charitatis affectiones, & dulcia colloquia, ac purissimas mentis suauitates, neminem nisi ad modum instrumenti perfectum facere, sed opera ex charitate profecta, quibus omnia mala detestamur, vniuersa bona exercemus, mādaturā custodimus, consilia seruamus, animæ puritatem zelamus, & Dei in omnibus voluntatem amplectimur, nos, & ad perfectionē perducere, & sanctos ac perfectos efficere. Hæc sunt, quæ Deus à iustis, & sanctis exquirat, ad hæc præstanta omnibus abundantissima auxilia suppeditat, horum rationem in nouissimo die, non à communibus, hominibus tantum, sed à sanctissimis, & perfectissimis vitis postulabit. Quæ si præstiterint, iusti reputabuntur, & si perfecte compleuerint habebuntur san-

Bern. ser. 50. in cant.

Mat. 19

Ber. ibid

2. Cor. 12

Mat. 19

A tti atque perfecti, licet dulcedine affectum caruerint, & numquam receperint animæ internam suauitatem. Hanc experiri non omnibus datum est, hæc habere, non est in nostra potestate: eius intendere affectibus, non à cunctis postulat Deus, quos vult rebus exterioribus occupari, laboribus & pressuris affligi, & non solum externis corporis malis, sed etiam internis desolationibus, & magnis animi tristitiis exerceri. Ab omnibus autem perfectam vitam postulat, odium mali, & amorem boni, & suæ voluntatis expletionem efflagitat, quam perfecta charitas implet, non desiderando tantum, sed efficiendo, & cum talis fuerit, vt Dei voluntatem perfecte compleuerit, tunc sanctitatis appellationem obtinet, & sine iniuria alicuius virtutis, nomē perfectionis vsurpat.

*Non quamcunque charitatem efficien-
tem esse perfectionem.*

CAPVT X.



I charitas efficiens, & nos efficaciter ad mandatorum custodiam instigans perfectio est: cum omnes iusti, & gratiæ diuinæ participes eam habeant, sequitur omnes esse perfectos. Quare perfectio, non tanta res est quātam hucusque mente concepimus; siquidem minima detestatione peccati, quæ vera contritio sit, cum voto sacramenti, aut ipso penitentia sacramēto ritè suscepto, statim, sine vlla cunctatione, suscipitur. Transit etiam homo denud iustitiam & gratiam adeptus, sine aliquo medio, de extremo ad extremum, dum à summa miseria iniquitatis extractus ad summā vitæ spiritualis gloriam, scilicet ad perfectionem euehitur. Petit quoque illa communis sanctorum Patrum, recepta que sententia, qua iustorum quosdā incipientes vocant, quosdam proficientes censent, alios verō sanctos, & perfectos appellāt. Nullus enim iustorū erit incipiens, nullus proficiēs, si vniuersi, quotquot Dei gratiam, & charitatē adepti sunt vitæ spiritualis instantiam, & iuuentam excedentes, ad virorum perfectorum mensurā peruenerint, & sanctitatis amplitudinem comparauerint. Non est tandem, cur iustos ad perfectionem hortemur, ad currendū incitemus, ad accipiendam suæ vocationis brauiū, scilicet sanctitatem, impellamus: cuius possessione gaudent, eo ipso quod iusti sunt, nec possunt iustitiam, gratiamque tenere, & à perfectione, aut sanctitate separari. sicut enim ineptē diuitem ad quærendas diuitias, quas habet, aut literatum ad addiscendam scientiā, qua pollet, exacuis; Nā persuasio acquirēdi aliquid, non in id, quod præsens est, respicit, sed in id, quod absens, & necdum in nostra potestate constitutum est, tendit; ita imprudenter perfectum & sanctum ad acquirendam perfectionem, quam habet, impellis. Iustos igitur deinceps ad maiorem perfectionem assequendam incendemus, quia possunt perfectionem augere, & nouos sanctitatis gradus, laboris & industriae pretio simul cum præsidio gratiæ coemere: sed ad deponendas imperfectiones, & ad quærendam perfectionis substantiam non excitabimus. Hoc nāque esset actum agere, & oleum, & operam sine vlla utilitate consumere.

Hoc loco in memoriam reuocanda est illa perfectionis diuisio, qua eam in perfectionem primam, mediam, & vltimam, absolutamque distinximus, Quæram illam primam omnibus iustis diximus esse communem, istam postremam solis beatis, & in

æterna sede manentibus, experimento cognita esse probauimus: mediam verò eximiis iustis, & sanctis viris esse datam, ac concessam astruximus. Hæc quidē nos oratione solum inuestigatos promissimus, ad quam pertingere, omnem charitatem efficientem, aut efficacem, nequaquam possumus existimare. Licet enim quæcumque charitas, quantumuis minima & infantilis, sit perfectio prima, quam omnes iusti, & amici Dei, peccatorum detestatione, & vera in Deum conuersione, conquirunt; non tamen est perfectio media, aut sanctitas absoluta, quæ se possidentes, non iam incipientes, aut proficientes, sed sanctos, perfectosque constituat. Nam in charitate tres Augustinus gradus agnoscit, primus est, in quo incipiens; secundus, in quo proficiens; tertius, in quo perfecta, & pro modulo huius vite consummata reperitur. Eius verba sunt. Sed numquid charitas mox ut nascitur, iam profusa perfecta est? Ut perficiatur nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur: Cum ad perfectionem venerit, quid dicat? Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.] Ecce charitas iam nata, quo pacto per tres gradus ad perfectionis substantiam ascendat. Primo nutritur, cum (vt Thomas ait) homo à peccato recedit, & prauis concupiscentiis resistit, quod incipientium est. Hæc peccatorum fuga, & concupiscentiarum abnegatio, est quasi cibus charitatem sustentans, ne deficiat in via, & instar olei, quod bonæ vite lucernam fouet. Deinde roboratur, cum ad bona procedit opera, & actionibus virtutum intendit. Istæ actiones sunt, quæ ad modum corporalis augmenti charitatem augent, & in proficientibus grandem, fortem, & planè robustam efficiunt. Tandem perficitur, cum vitii consopitis, & virtutibus ad opus adductis, mens omnino defæcata, & Deo similis effecta, ei inhæret cognitione purissima, & feruidissimo voluntatis affectu. Quod meritò perfectio charitatis dicitur, quia iam non est in hac vita. quò humana mens amplius, aut sublimius ascendat, nisi vt mundo mortua, soli Deo viuat, & ab eo, quod mortalitatis est, cupiat dissolui, & esse cum Christo. Illa ergo charitas, quæ incipiens est, non est perfectio, sed quasi paruula, & recenter nata, fuga mali nutritur; vt aliquando tandem ad statum perfectum ascendat. Similiter illa, quæ proficit, non est perfectio, sed bonis operibus crescit, & roboratur, vt post debitam mensuram acquisitam ad perfectionem perueniat. At charitas perfecta, quæ sanè (vt idem Thomas ait) non est omnium iustorum, & perfectè mala abiecit, atque perfectè bonum sectata est, Deoque vinculis puritatis adhæret, est hominis in hac vita suprema perfectio.

Nam si cuius charitati perfectionis nomen, dignitasque competeret, omnes iusti, tamquam verà charitatem habentes essent vocandi, & censendi perfecti, iniuriamque illis irrogaret, qui dignissimum eis nomen perfectorum adimens, vocaret aut incipientes, aut tepidos, aut imperfectos. Hoc autem incipientium, aut imperfectorum nomen passim apud Patres sine vlla offensione legimus, & nobis ipsi pie charitatem habere credentibus, sine aliqua nota difficultatis ascribimus. Patrum vnus est Beda, qui illud Davidis versum explicans, Noli emulari in malignantibus,] in huc modum scribit. Sunt in corpore Christi duo genera, scilicet, perfectiores boni, & minus perfecti. Verè enim minus perfecti sūt adhuc illi, qui videntes malos feliciter viuentes, & in omni terra prosperitate florentes, indignantur de flore illorū, & ipsum affectant. Contra hos tales verò perfectio-

A res, alijagunt instruere eos, ne murmurent, de flore malorum, neve ipsum appetant, ne forte eis cõsimiles fiant.] Alter est Bernardus, qui iustarum animarum quasdam adolescentulas existimat, quasdam sponsæ nomine dignas agnoscit. Ista anima perfectæ sunt, illa verò imperfectæ, quæ quoniam minus sapiunt (inquit) minus & capiunt, nec omnino sufficiunt ad sublimia. Paruula quippe in Christo sunt lacte, & oleo nutriendæ, & ex vberibus sponsæ opus sumere habent, vnde diligant.] His addamus alium, nempe Rupertum, qui illud canticorum de Beata Virgine exponens, cuius fuit ipse apprimè deuotus. Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ, vna est columba mea,] hæc ait. Quid est hoc dicere, nisi quodd, etsi multæ sunt fideles animæ, & propter fidem, quæ per dilectionem in eis operator, laudabiles, nulla tamen earum, o Maria, tibi similis est, sicut veraciter prædicamus, quia. Nec primam similem, visa es, nec habere sequentem. Nam reginæ rectè dicuntur illæ animæ, quæ perfectæ charitatis sunt, in eo videlicet, quodd eundem dilectum tuum sequentes, nihil terrenum, sed ipsum solum quærunt, nec propter metum gehennæ, sed propter amorem vite æternæ peccatum fugiunt, virtutemque amando, iniquitatem oderunt. Concubinæ verò sunt illæ, quæ sub timore seruiunt, nec eius perfectionis, vt super præceptum velint addere consilium, scilicet hoc, vt relictis omnibus, solum sequantur hunc dilectum: habentes quidem in fundamento Christum, sed nihilominus amantes aliqua, quæ huius mundi sunt.] Et profectò hoc adeò notum est, vt superuacaneum sit, & molestū legentibus, aut pluribus rationibus, aut Patrum dictis confirmare. Quis enim non audiuit Dominum dicentem, quia femina, quæ ceciderint in terrā bonam, dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimalum? Terra bona corda iustorum sunt, vt Saluator ipse interpretatur. Quod autem in terram bonam (inquit) hi sunt, qui in corde bono, & optimo, audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.] Cuius terræ tres possumus sortes assignare. Altera enim est bona, altera melior, tertia verò optima. Terram bonam vocamus incipientes; qui fructum trigesimalum, id est, mandatorum custodiam ferunt; terram meliorem vocamus proficientes, qui fructum sexagesimum, hoc est, mandatis consiliorum obseruationem adiungunt; terram optimam appellamus perfectos, qui fructum centesimum, perfectam scilicet animæ puritatem, & intimam cum Deo vnionem emittunt. Si ergo iustorum, qui charitate aduersus Deum iusti sunt, quidam sunt incipientes, alij proficientes, alij perfecti: manifestum est, quoniam, & ipsa charitas, quæ illos amicos Dei facit, in tres gradus siue partes est distribuenda; ita scilicet, vt quædam sit vite spiritualis incæptio, quedam eiusdem vite profectus, alia verò consummatio, atque perfectio. Nō igitur omnis charitas efficax, sed supremus charitatis gradus, nomine perfectionis gaudet, & substantiam mediæ perfectionis inter infimam terræ, & supremam cæli habere dignoscitur.

E Nec mirum esse debet, quodd in inter charitatis gradus, qui omnes eiusdem substantiæ sunt, atque naturæ, quemdam nomine perfectionis dignum censeamus. & alium ab huius nominis & dignitatis participatione reijciamus: quia multa sunt etiam in rebus humanis, quæ eandem naturam habentia, & aut quantitatem, aut qualitatem mutantia, nomen etiam, & dignitatem mutant. Possessio agelli est paupertas, possessio verò amplissimi, & fertilissimi agri,

qui

Aug. tra.
5. in loq.
ante me
dum.

Philip. 1.

D. Tho.
2. 2. q.
24. ar. 9.

Psal. 36.

Beda in
Psal. 46.

Bern. ser.
19. in
cant.

Cant. 6.

Rupers.
lib. 6. in
cant.

Matt. 13.

Luca 8.

qui etiam homini ad lucrum sufficiat, diuitiarum nominatur; cum tamen inter agellum, & agrum sola sit, non natura, sed quantitatis magnitudinisque diuersitas. Modicum auri reconditum non est thesaurus, magna autem auri copia recondita, cuius iam non inueniatur dominus, est, & vocatur thesaurus. Magna rerum diuinarum & humanarum cognitio, sapientem, & magna corporis firmitudo, robustum, & magna rerum gerendarum dexteritas, prudentem facit; parua verò cognitio ignorantem, parua firmitas corporis imbecillum, & parua in rebus agendis aptitudo imprudentem derelinquit. Sic parua charitas, quæ vniuersa mentis mala non tollat, non affectuum prauitatem cohibeat, adhuc hominem imperfectum deserit; magna verò charitas, quæ hanc interiorem affectuum nostrorum republicam optimè moderatur, & nos, & omnia nostra, tum per se ipsam, tum aliarum virtutum beneficio perfectè Deo subiicit, & hominem non solum criminibus, verum etiam imperfectionibus liberat, efficit in virtute perfectum. Nec obscure Bernardus hoc docuit, imò apertissime affirmavit, altruens parua charitatem, nos paruos, hoc est, imperfectos relinquere; sed magnam magnos, scilicet sanctos, & perfectos constituere. Eius verba sunt. Ergo quantitas cuiusque animæ æstimetur de mensura charitatis, quam habet, vt verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna sit, quæ parum, parua, quæ verò nihil, nihil. Dicente Paulo: Si charitatem non habueris, nihil sum. Deinde statim latè explicat, quam charitatem modicam, & quam magnam ac perfectam censeat. Nam modica est, quæ diligentes se diligit, & sibi beneficientibus, & ipsa beneficit, salutantibus se salutatur. Et verè modica quæ pusillitatem publicanorum, & Ethnicorum non transiit. Quare Domini correptio est, quæ pusillos, id est, paru diligentes reprehendit: Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nōne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nōne & Ethnici hoc faciunt? Maius est, quæ iam gratis & non alicuius commodi obtentu diligit vniuersos, & se ipsam non ad notos angustat, sed ad ignotos, ad extraneos, ad nulla carnis cognatione coniunctos sinum dilectionis extendit. Quis enim ambigat eam maiorem esse, quæ omnes sine vlla exceptione capit, quam illam quæ paucos tantum, aut notos, aut amicos, aut sodales, aut consanguineos comprehendit; At illa grandis est, & plane perfecta, quæ inimicos amore complectitur, odientes diligit, iniuriam irrogantes salutatur, contemnentis laudat, persequentes, oratione, & beneficiis iuuat. Ad quam Dominus nos exhortans, ait: Diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, qui in caelis est. Et estote perfecti, sicut & pater vester caelestis perfectus est. Sicut ergo qualibet naturalis substantia, vt verbi gratia hominis, in tres veluti gradus distribuitur, quorum primus tenellus, & infantilis, & debita firmitate destitutus infantibus, ac pueris nomenclaturam attribuit; secundus robustior, & firmior, adolecentes iuuenesque cognominat, & maiorem perfectionem impertit: tertius verò naturam hominis, omnibus numeris absolutam obtinens, viros constituit, & is solus est natura humanae columen, hominisque in naturalibus summa perfectio: Ita charitas, quam vitam spiritualem vocauimus tribus supra dictis gradibus constat, quorum primus infantiam spirituales vita, secundus iuuentam; tertius perfectionem continet, cui soli perfectionis nomen debetur, & sanctitatis appellatio conceditur.

A Sed quis est iste charitatis gradus qui ad rationem vsque perfectionis accessit, & nomine perfectionis dignus censetur? Hoc opus, hic labor est. In quo multa subtiliter disputari possent, quæ scholis relinquenda sunt, & ab hac tractatione consultò reicienda, in qua non tam intellectum instruere, quam voluntatem excitare, & ad perfectionis amorem mouere curamus. Illud à nostro instituto non est alienum, non posse nos aliquem charitatis gradum signare, ac verbis exprimere citra quam iustus imperfectus sit, & in quo, aut vltra quem iam sit vocandus sanctus, atque perfectus. Licet enim fortassis sit aliqua charitatis mensura, magna quidem in se, sed minima inter amoris gradus, qui sufficiat cor humanum omnino componere prout hac vita fert, & affectus comprimere, & hominem in virtutum exercitatione perficere, citra quam homo, neque constanter malum fugiat, nec affectus moderatos habeat, nec virtutes exerceat, nec mentem iugiter Deo adherentem possideat: (quod ad habendam perfectionem necessarium est) tamen hanc mensuram intellectus humanus non caller, neque in se ipsa, sed, vt statim dicemus, tantum per effectus agnoscit. In opibus quidem temporalibus bene possumus pro regnorum aut prouinciarum qualitate signare certam, aut pecuniam, aut auri, & argenti, aut aliarum rerum summam, quam quis saltem possidere debeat, vt diues appetatur, vt verbi gratia, in hoc regno Perueni (in quod, inssu Prælatorum concessimus, & ex Hispania demigrauimus) quia opibus beneficio creatoris satis abundat, diues est homo honestis parentibus natus, cuius substantia triginta mille aureis æstimatur, & qui minus habet, vt viginti, aut decem, aut quinque mille aureos, non dicitur diues; qui tamen in alio regno, vt inter Astures, aut Cantabros, diues, & peniosus diceretur. At in opibus animæ nemini mortalium datum est, ita status, & qualitates iustorum metiri, vt quisque verè dicat: qui habuerit hanc charitatis mensuram erit perfectus, & qui ad eam non peruenit, non erit perfectus; sed hoc Deus, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, sibi ipsi cognoscendum reseruaui. Ille solus est, qui sicut charitatem facit, & mentibus iustorum infundit; ita optimè nouit, quæ charitatis mensura, quemlibet hominem optimè moderabitur, & ad perfectionem adducet. Nos ergo hanc charitatem, quæ prima perfectio, aut donum minimi viti perfecti sit, nequaquam inquiramus, quam proculdubio inuenire non possumus. Quinimò meminimus illius sententiæ, quæ Ecclesiasticus nimiam sciendi, & inquirendi curiositatem cohibet. Altiora te ne quaeris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita sepe & in pluribus operibus eius ne faceris otiosus. Cuius causas reddit. Quia non est nobis necessarium ea imprudenter inuestigare, quæ Deus abscondita mortalibus esse voluit. Et quia plurima super sensum hominum monstrata sunt nobis, in quibus satis est ingenium nostrum occupari, & eorum consideratione detineri.]

B Nec etiam sciemus, aliquam maximam charitatis mensuram cognoscere, quam viti iusti in hac vita possint assequi, & maiorem aliam non possint adipisci. Omnes enim, quoad viuunt, quantumcumque perfectionem habeant, valent maiorem, & sublimiorem habere, & copiosiores sanctitatis diuitias comparare. Omnibus dicit Salomon. Manè semina semen tuum, & vespere ne cesser manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, hoc, aut illud, & si vtrumque simul, melius est. Manè quippe seminare, est, in tempore iuuentutis opera virtutis proficere, &

C **D** **E**

vespere

Bern. ser.
27. in cat.1. Cor.
13.

Matt. 5.

Matt. 5.

Ps. 146.

Ecclef. 3.

Ecclef. 1.

Dami. sc.
orat. de
dormis.
Virginis.

Heb. 13.

Genes. 47.

Iob. 21.

Greg. 15
mor. 1. 35.

Amb. in
psal. 118
ser. 4. ver.
2.

Aug. ser.
15. de
verbis
Apost. c.
15.

vespere non cessare, in senectute virtutum actiones præstare; quas si perfectissimi; & sanctissimi viri, quamdiu viuunt, exercere debent, constat, quia numquam ad eam perfectionis mensuram perueniunt, quin ad aliam maiorem, & præstantiorem peruenire queant. Vnde sapienter dixit Damascenus. Morte sanctos omnino perfici, sanctosque ostendi; quæ id ipsis affert, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat.] Vsq; ad mortem ergo possunt in melius mutari, & maiorem virtutem, puriorem vitam, & sublimiorem charitatis perfectionem conquirere. Quod & nomen ipsis ab Spiritu sancto in diuinis literis datum, id perspicue indicat, in quibus passim vocantur viatores. Paulus ait. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.] Et sanctus Iacob, hominis vitam nomine peregrinationis vocat. Dies (inquit) peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, pauci, & mali. Nec non patiens Iob. Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis, quia in diem perditionis seruat malus.] Viatores hoc loco iusti dicuntur. Nam (vt Gregorius ait) Viator est, qui præsentem vitam viam esse sibi, & non patriam attendit, qui in dilectione prætereuntis sæculi cor figere despicit, qui non remanere in transeuntibus, sed ad æterna peruenire concupiscit. Atque in eandem sententiam Ambrosius, omnes homines, tam peccatores, quam iustos, viam aliquam ambulare existimat. Qui facit (inquit) voluntates carnis, & viuit secundum concupiscentiam mundi huius, vias suas ambulat, quibus delectatur, & gaudet. Qui autem venit voluntatem facere Patris sui, qui in cælis est, cui cibus est, vt mandatum Dei compleat, qui non querit, quod voluptatis sit, sed quod placeat Deo; ille viam Domini pergit.] His concinit Augustinus. dicens: Videtis, quia viatores sumus. Dicitis, quid est ambulare? Breuiter dico; proficere, ne forte non intelligatis, & pigrius ambuletis.] Quare, rogo, omnes iusti quantalibet sanctitatem acquisierint, viatores vocantur, nisi quia dum viuunt, possunt magis proficere, altius ascendere, proprius Deo per vitæ puritatem appropinquare?

A Semper ergo quamcumque perfectionem habeant possunt eam nouis augmentis cumulare, & ditiores, ac pulchriorem efficere.

Verum est secundum dispositionem diuinam, esse aliquam maximam perfectionem, ad quam natura humana, vel Angelica potuit ascendere: & quantum poterit superare. Hæc autem est, quæ Deipara Virgo omnibus sanctissima vitæ suæ operibus est assequuta. Quæ enim mater est Dei, & hominū, atque Angelorum Domina, & præ cæteris, nõ tamquam ancilla, aut amica, sed tamquam sponsa, & tãquam mater à Deo dilecta, & cuius opera penè infinitis partibus omnium sanctorum Angelorū & hominum opera præcellerūt, & cuius gloria tamquã matris, & sponsæ omnium seruatorum gloria, quasi infinitè, superat, certissimum est, quia quolibet sanctum, etiam supremum Seraphim, mirum in modum perfectione antecedit, & valde credibile, quod omnibus sanctis, simul acceptis, maior sanctitatis gloria, & perfectior existit. Quare sapienter, & sine vlla exaggeratione Chrysostomus ait. Magnum re vera miraculum fuit semper Beata Virgo Maria. Quid namque illa maius, aut illustrius, vilo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? Hæc sola cælum, ac terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, nõ Throni, nõ Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles maius, aut excellentius inueniri potest.] At istam maximam perfectionem nos mente nos capimus, imò nec cælestes spiritus, licet eam videant, plene cognoscunt. Ad quam certi sumus, quia nullus sanctus, quantumuis currat, accedet, nec à longè salubabit: quoniã Beata Virgo est omnibus prædestinatis gratiæ viribus fortior, bonorum operum cursu velocior, & animositate ad expugnandam cælestem sedem, audacior. Si ergo nec minimam, nec maximam charitatem, quæ perfectio sit nouimus, an aliquo modo charitatis perfectionem explicare possimus, in sequentibus videamus.

Chryf.



PARS SECVNDA

DE ALTERA PERFECTIONIS PARTE, SCILICET DE CHARITATE DEI.



VERAM Dei, & proximi charitatem affirmatiuis perfectionem esse, nunc, quæ charitas erga Deum, & quæ charitas erga proximum sit perfectio à prima illa incipiendo, videamus. Quoniam charitas erga Deum, (vt postea dicitur) amoris erga proximum origo est, & eam nobilitate superat, quare necesse est, vt in serie tractationis huius, primum locum obtineat. Hanc verò primum in seipsa, deinde ex quibusdam similitudinibus, postea ex affectibus quos in sanctis animabus ostendit, ac tandem ex verbis, & præcepto Dei, quo istam perfectionis partem mandauit, explicare tentabimus. Magni enim momenti est perfectionem agnoscere, ne quis eam magnis laboribus querens, & in notitia errans: pro vera perfectione non veram, aut pro fine medium, & instrumentum exquirat.

Que